HORTI INDICI MALABARICI
PARS SECUNDA
DE
FRUTICIBUS

Regni Malabarici apud Indos celeberrimi,

Latinis, Malabaricis, Arabicis, & Bramanum Characteribus nominibusque expressis,

Unà cum Floribus, Fructibus & Seminibus, naturali magnitudine à peritissimis pictoribus delineatis, & ad vivum exhibitis.

Addita insuper accuratâ earundem descriptione, quâ colores, odores, sapores, facultates, & præcipuæ in Medicina vires exactissimè demonstrantur.

ADORNATA

PER

HENRICUM VAN REEDE, TOT DRAAKESTEIN,

Nuperrimè Malabarici Regni Gubernatorem, nunc supremi Consessus apud Indos Belgas Senatorem Extraordinarium, & primum successorem loco ordinario destinatum,

ET

JOHANNEM CASEARIUM, Ecclesiast. in Cochim.

Notis adauxit, & Commentariis illustravit

JOANNES COMMELINUS.



AMSTELODAMI,

Sumptibus { Viduæ JOANNIS van SOMEREN, ET Hæredum JOANNIS van DYCK.

Anno cIↃ IↃc LXXIX.

NOBILISSIMIS ET SPECTATISSIMIS

DOMINIS

ÆGIDIO VALCKENIER,

Conſuli & Senatori urbis Amſtelodamenſis, ac Directori Societatis Indiæ Orientalis, &c.

JOANNI HUDDE,

Domino in Waeveren, &c. Conſuli & Senatori urbis Amſtelodamenſis, &c.

JOANNI HUYDEKOOPER,

Equiti, Domino in Maerſeveen & Neerdijck, &c. Exconſuli & Senatori urbis Amſtelodamenſis, ac Directori Societatis Indiæ Orientalis, &c.

PETRO VAN DAM,

Advocato & Conſiliario Generali Societatis Indiæ Orientalis Fœderati Belgii, &c.



Eritò SPECT. NOB. VESTRIS *nunc offertur & dedicatur Pars Secunda Horti Malabarici Fruticibus conſita, cùm quia ille collectus & diſpoſitus eſt in regione, cujus proſperitati bono regimine promovendæ* SPECT. NOB. VESTRÆ *non perfunctoria cura ſtudent;*

tum quia illa à me compoſita eſt, qui me devinctum ſentio ad id agnoſcendum in honorem SPECT. NOB. VESTRARUM, *ceu fautorum & amicorum meorum, inque teſtimonium animi mei grati, ſi minus raritate Indicarum plantarum, certè eo quod perſevero*

NOBILISSIMI SPECTATISSIMIQUE DOMINI

VESTRARUM SPECT. NOBIL.

Humillimus & devotiſſimus Servus

HENRICUS VAN REEDE
TOT DRAACKESTEYN.

HO-

HONORI
NOBILISSIMI AC STRENUISSIMI VIRI
D. HENRICI A REEDE,
DOMINI A DRAKENSTEYN,
Nuper Cochini Moderatoris ſummi, ſupremique in Belgarum Indiis Senatûs aſſeſſoris digniſſimi,

Horti hujus Malabarici collectoris ac promotoris principis:

E T
D. JOHANNIS CASEARII
In Eccleſia Cochinenſi, dum viveret, Paſtoris fideliſſimi,

Ejuſdem hujus operis ſcriptoris acutiſſimi, accuratiſſimi.



Ecula priſca ſacrum celebrarunt Orphea Vatem;
Cur & mortales, & periére Dii:
Namque bonos ritus & placamenta Deorum
Inſtituit prior, hæc inſtituiſſe juvat:
Saxea corda leni mulſit dulcedine cantûs,
Detinuit blandæ flumina bruta lyra,
Et ſenſum ſcopulis dedit, auritaſque canoris
Adduxit ſylvas fidibus, atque ſono.
Orpheû majorem coluit Malabarica nuper
Tellus, dilexit Patria, Muſa, Deus,
Et venerata gravem ſacrorum Eccleſia Myſtam,
Et Phyſice ſobolem docta, Mathema ſuam;
Hic perdulce melos cecinit, revirentibus herbis,
Hac gaudebat ovans ſylva notata manu,
Hunc Bramanes, Jogies, Baneanes, neſcia luxus
Gens, mirabantur, terra Cochina, virum:
Hancne tuo mœſtam diſceſſu authore relinquis
Prælustri? nobis gratior hoſpes, ave!
Magnificos codices quia confers, arte ſecundos
Nulli, nec ſumptu, neve labore, ſtylo:
Quodve Dioſcorides, Theophraſtus, quæve vetuſtas
Vel novitas tenuit lumina, jure ſtupent,

Hoc rudiore manu, ſed longo nudipes uſu
  Collegit MONACHUS pictor & author opus,
REEDIUS hoc promovit idem, quod pondere magnum,
  Sed ſtudio majus, laudeque perpetuum:
REEDIUS herbarum ſecuit penetralia primus,
  Et momenta legens atque minuta docens:
His ſibi deliciis cultis ne Belga placeret
  Unus, donandis dulciloquo Latio,
Arripuit calamum CASEARIUS, atque probata
  Deſcripſit juxta ſchemata viva manu;
Divitiis illis inſtructus viſere Lares
  Conſtituit patrios, ſed mala dura negant;
Pectus enim labes vexat pneumonica, ventrem
  Fluxus, ſic rapuit putrida febris eum,
Cui pia, ſufficiens (hæc verba noviſſima templo
  Dixit) uti finis, tota ita vita fuit:
Siccine, dum exſpectat flagranti Patria voto
  Te, ploratus abis, cœlica regna petis?
Hocque imperfectum rellinquis grande volumen?
  Cur non, ut primum, cætera finieras?
Queis ego (laus abſit!) ſubjeci plurima, vires
  Omnes adjunxi, queis Medicina cluet.
Ergo peregrinas qui vult pernoſcere plantas
  Hæc legat, & lectis ſemper abibit iis
Doctior. Illuſtres Domini, quibus omnia penſa
  Votaque libamus, debita noſtra, preces,
Huîcce patrocinium faciles concedite, fucos
  Hac arcete leves fortiter ambroſia;
Sic noſtro zelo veſtroque favore redibunt
  Quotannis fiſco commoda, lucra, gazæ.

Dabam Bataviæ Jacatrenſium,
quæ eſt in Java Majore,
ad d. xv. Kalend. Martii
MDCLXXVIII.

WILHEM TEN RHYNE M.D. &c.

JOAN-

JOANNES COMMELINUS

AD

LECTOREM BOTANICUM.

PRodit nunc, Benevole Lector, pars hæc de Fruticibus, ceu ſecundum ſeptum Horti Malabarici, refertum plurimis plantis hactenus incognitis, aliiſque, quæ quidem à Botanicis quibuſdam deſcriptæ, ſed minus clarè delineatæ ſunt. Autores autem noſtri ſumma cura omnium delineationem exactam nobis exhibere ſtuduerunt. Et ô utinam Doctiſſimo Domino Arnoldo Syen p. m. eaſdem locis obſcuris continuatione Annotationum ſuarum, quemadmodum in parte de Arboribus cœperat, pro vaſtâ ſuâ eruditione, illuſtrare licuiſſet. Verùm filum vitæ ejus, in flore ætatis immatura morte abruptum eſt, non ſine inſigni detrimento Operis hujus, & imprimis illuſtris Academiæ Lugdunenſis, in quâ Profeſſoris munere tantâ cum laude fungebatur, ut hactenus nemo faſtigium ejus adæquare potuerit. Damnum profectò inſuperabile in ejus morte fecerunt & diſcipuli ejus & omnes Botanicæ rei ſtudioſi, quæ nunc videbatur ſummum perfectionis apicem adeptura, cum hoc ictu, proh dolor! proſternitur. Atenim quando nulli queſtus jacturam reſtituunt,

& opus incœptum necessariò prosequendum est, ego utique has annotationes addidi, quæ si minùs debitam perfectionem assequuntur, poterunt tamen nonnihil utilitatis conferre ad illustrationem quarundam plantarum, quæ hîc sub larvâ ignotorum nominum in scenam prodeunt. Ad quas nihil dicere habui, eas silentio præterii, quoniam satius est nihil, quàm multa incerta dicere. Ad primos suos authores etiam reduxi, quarum certa mihi erat notitia, & quò meliùs Autores nostros quantum fieri posset, intelligerem, eas adjunxi Bauhini Pinaci, & quasdam contuli cum descriptionibus recentiorum quorundam Botanicorum, ut eruditi Prosperi Alpini, Jacobi Cornuti, Guilielmi Pisonis, Jacobi Bontii, Jacobi Breynii, aliorumque, qui omnes post Bauhinum scripserunt. Ingredere itaque, Candide Lector, hanc partem Horti Malabarici, ubi omni procul dubio rapieris in admirationem & compelleris in laudes bonitatis Magni illius omnium rerum Conditoris, qui telluris superficiem Arboribus, Fruticibus Herbisque abunde exornat, omniumque rerum filiis hominum liberali manu usum largitur.

PARS

PARS SECUNDA

HORTI MALABARICI

DE

FRUTICIBUS.

KAIDÀ.

FIG. 1. 2. 3. 4. 5.



K*Aidà* lingua Bramanum *Bendakì*, est frutex spinosus & aculeatus stipitibus numerosis, qui sæpissime transitum præbent, ac per quos inspicienti cœlum pervium est, terræ impactus, nascensque in ripis aquarum. Fig. 1.

Folia oblonga & cuspidata longitudine quinque, sex septemve cubitorum, suntque tribus ordinibus aculeorum, duobus in oris, uno in medio munita, ac venis subtilibus in longum striata, & viridi-satura. Fig. 2.

Loco *Florum Fasciæ* albicantes flocculosæ supra exortum foliorum prodeunt, quarum flocculi seu apices albicantes albissimo farinaceo polline adspersi, petioli medii candidissimi & nitentis ramulos obsident. Fig. 3.

Fasciæ hæ in foliis oblongis, cuspidatis, candidis, quæ quoque spinis seu aculeis in oris ac in medio munita primum involutæ sunt, ac foliis apertis se produnt ex diuturniore apertione rubescentes, suntque cum foliis albicantibus odoris acris & fragrantis. Fig. 4.

Fructus qui fasciis flocculosis succedunt, oblongo-rotundi sunt & prægrandes, primum viridi-fusci, dein vetustiores colore rubicundo in cortice confertis tuberculis exturgescentes, ac in singulis tuberculis tribus aculeatis, ruffo-rubris, duris, lignosis papillis muniti, carne intus flava, succulenta. Fig. 5.

Foliis super terram stratis indigenæ dapes imponunt.

Floribus ob odorem amœnum mulieres se exornant.

Fructibus vescuntur gentiles dicti *Póleas*, uti & elephantes.

VIRES EJUS.

F*Oliorum* ſimul & *Radicis ſuccus* pro balneo maniacis ſubminiſtratur. *Flores* cum ſandalo ac cumino ad potiunculam aptati ſimulque comminuti atque hypogaſtrio inuncti genitales vires inſtaurant. Ex *Radice* paratum apozema dyſuriam tollit. Ex *ejusdem ſucco* deponitur coquendo oleum antiarthriticum.

FIG. 1. 6. 7. 8.

Hæ quatuor ſpecies *Kaida* ab authoribus noſtris deſcriptæ differunt ſolummodo in fructibus. Eſt autem profecto *Kaida* planta mira, à nemine, quod ſciam, deſcripta. Cortex ejus molliculus, quo commodiùs per dependentes ramos denuo radicatura progerminare poteſt. Ejusdem proprietatis quoque eſt *Arbor de Rayz*, Linſchotano memorata in Hiſtoria Indiæ Orientalis: ut & *Arbor Paretiive* Rochefortii: quæ etiam in locis paludoſis creſcit, ubi inſigne ſpatium occupando amplectitur. Hæ progerminationes radicantium ramorum communes etiam ſunt *Sedo Majori Arboreſcenti* C. *Bauhini*, quod veteraſcens ſemet undique confirmat novis dependentibus filamentis, quæ ſimul ac terram attigerunt, radices agunt, & brevi tempore in perfectam craſſitiem excreſcunt. Quod verò ad *Kaida* attinet, utique ea ab his omnibus diverſa eſt cum in foliis tum in fructibus, quorum illa foliis *Aloës Americanæ* non ſunt abſimiles, fructus verò fructibus *Pinus*.



KAI-

Kaidà-taddi. *lat.*

കൈതതടി *Mal.*

Bondaki.


वोडकी *Bram.*


فحمبحا طعضحي *Arab.*




F. 2.
Kaida. lat.
mal.
Bondaki
bram.
Arab.


Kaida. lat.
mal.
Bondaki
bram.
Arab.


Kaidà. lat.
mal.
Bondaki
bram.
Arab.


F. 5.
Kaida. lat.
mal.
Bondaka
bram.
Arab.


Kaida-Taddi. lat.

[illegible] *mal.*

Bondaka

बोड्ककवाशो *bram.*

فا زضع *Arab.*



KAIDÀ TADDI.

FIG. 6.


HÆc ſpecies *Kaidà*, à priori ſolum in fructibus differens. Fig. 6.

Sunt autem *Fructus* hujus prægrandes, forma rotundiores, in corpore diverſis grandibus nodis, qui ſulcis profundis & latis interſtincti ſunt, extuberantes, ſuntque in ſuperficie nodorum ſeptem, octove paſſim minoribus nodulis, in quibus ſingulis papilla duriola, ruffa eminens eſt, interſtincti, colore primum viridi, dein corallino-rubro, ac in ſuperficie nodorum ſingulorum dilutiore, carne intus flava, in medio caverna vacua excavati, ac carne albicante farinacea; in medio nodo cujuſque unum rotundum oblongum ſemen continentes.

VIRES EJUS.

EX *Foliis* teneris exactus *ſuccus* cum ſaccharo ſumptus dyſenteriæ medetur; ex maturo autem *Fructu* preſſus *liquor* ſaccharo mixtus aphthis adverſatur.




F. 7.
Perin-Kaida Taddi. lat.
mal.
Bondaki
bram.
Arab

PERIN-KAIDÀ-TÁDDI.

FIG. 7.




ESt & alia ſpecies *Kaidà* dicta *Kaidà-Táddi*, in fructibus quoque à prioribus differens. Fig. 7.

Fructus hujus oblongo-rotundi, ac minoribus nodis, qui ſulcis quoque profundis interſtincti ſunt, extuberantes, ac in ſuperficie cujusque nodi una papilla ruffo-nigricante dotati: ſuntque hi flavo-rubeſcentes, ac odoris vegeti & haud ingrati.

Earundem cum prima eſt *virium*.




F. 8.
Kaida-Tsjerria lat.
Mal.
Bondaka
bram.
Arab.

KAIDÀ TSJERRIA.

FIG. 8.



EST & alia ſpecies *Kaidà* naſcens in montoſis. Fig. 8.

Fructus hujus (in quibus à prioribus ſpeciebus differt) haut diſſimiles fructibus *Tsjáka*, forma oblongo-rotundi & anguſtiores, in ſuperficie bullulis ſeu oculis extuberantibus dotati, & oblongis, nigricantibus, rigidis ſpinis in vertice bullarum muniti, cortice viridi, ac odoris vegeti ac grati.

Earundem cum cæteris eſt *virium*.




Pánel. lat.

പാണെൽ Mal.

يغنحيل Arab.

गुणामणीकि Bram.



PÁNEL.

FIG. 9.

Anel duæ ſpecies, una ejus nominis, altera *Na-rùm-Pánel.* Fig. 9.

Pánel lingua Bramanum *Calì-Apocarò*, eſt frutex altitudine quinque ſexve-pedum.

Radix capillata, cortice cinereo, qui odore eſt aromatico.

Folia quæ brevibus, craſſis, viridi-claris petiolis proveniunt, oblongo-rotunda ſunt, ad petiolum contractiora, anteriora verſus vel in medio maxima latitudine, cuſpide modo obtuſo, modò anguſtiori, utraque parte adverſis extantibus nervis ex coſta ſtriata, ac inæqualis ſuperficiei ex groſſo plurium nervorum undique decurrentium cancelliformi contextu, coloris viridi-ſurdi, odoris ſilveſtris fortis.

Flores proveniunt in racemis longis qui hinc inde ſupra ex origine foliorum ſeu ſurculorum foliaceorum oriuntur, ſuntque candidi foliis conſtantes quinque rotundis, ac anterius rotundo-cuſpidatis, odoris haud injucundi.

Stamina in eis decem velut anguſta foliola albicantia, quorum ſingula apice parvo flavo dotata ſunt: ſtylus in medio craſſus & ſubviridis in ſummitate habens capitulum flavo-albicans, eſtque principium ac germen fructus.

Gemmæ florum rotundiolæ & nonnihil oblongæ, albicantes ac ſubflavæ.

Floribus deciduis ſubſequuntur *Fructus*, qui ſunt baccæ plano-rotundæ, in vertice habentes ſpiculum ſeu nodulum qui ſtyli germinis ſui capitulum conſtituebat, ſuntque odoris aromatici æmulantis odorem piperis dicti *Capò-Mólagò*, & gingiberis viridis, cum immaturæ ſunt colore viridi-albicante, ac cortice qui craſſiolus eſt aſpero ſeu minus flavo ob gemmulas viridiuſculas hinc inde eminentes, ex maturitate primum albeſcunt, dein cum plane maturæ

ſunt colore albicante-eburneo & ad perſicum vergente, corticeque glabro-nitente ac nonnihil tranſparente, carne ſucculenta & ſubdulci: ſuntque hæ in eduliis.

Intus unum rotundiolum, planum ac grandiuſculum *Semen* continetur, quod tenuiſſimo ac viridi cortice etiam cum maturum, ac pulpæ albæ, odoris aromatici, & ſapore ſubacri.

Flores fert hic frutex toto anno.

VIRES EJUS.

TOtæ plantæ tritæ & decoctæ vapor in parte affecta exceptus ſedat dolorem arthriticum. *Radix* humoribus evocandis trita & cum aqua in qua oriza macerata fuit in lotione adhibita, eadem trita & in aqua ſumpta appetitum acuit; in decocto data flatus diſcutit. *Folia* in capitis affectionibus conferunt, ut & in ejus dolore ac præcipue in phreneſi ægrotorum. *Foliorum* decoctorum vapor in ore attractus dentium dolorem mitigat. *Foliorum* ſuccus una cum oleo decoctus & auribus immiſſus, earum dolorem ſedat.




Narum-panel. lat.
നറുംപാണൽ Mal.
نارون بنجل Arab.
काळोअपकाउ Braman.

NARÙM-PÁNEL.

FIG. 10.



Arùm-Pánel, alio nomine, *Baala-Paletì*, ling. Fig. 10. Bramanum *Calò-Apocarò*, quæ altera ſpecies *Pánel*, frutex eſt altitudine quinque ſexve-pedum, ac etiam juxta arbores quas amplectitur ad duûm triumve hominum ſtaturam alte aſcendens.

Radix fibris longis craſſiſque terræ ſe firmat cortice nigricante, qui ſub exteriori cruſta rubeſcit, eſtque odore aromatico vegetiori quam cortex radicis *Pánel.*

Caudex ac *rami* nigricante quoque cortice.

Folia quæ petiolis curtis, craſſiolis ac interius ſtriatis appendent, oblongo-anguſtiora quam illa primæ ſpeciei, cuſpide acuto, venuliſque partim extantibus ſtriata, atque adeo in ſuperficie texturæ æquabilis ac glabræ; viror foliis magis ſaturus ac cum nitore maxime in parte recta: odor foliis aromaticus haud diſſimilis foliis cinnamomi.

Flores qui brevibus petiolis hinc inde proveniunt conſtant foliis paſſim ſex, rarius ſeptem, quæ rotundis oris in cuſpidem contracta, craſſa, ac rigida, & ex umbilico in planum explicata, ac cuſpidibus orbiculatim rigida flexione æqualiter interiora verſus intorta ſunt; repræſentantque flores formâ roſas.

In medio horum florum ſeu roſarum *capitulum* emicat rotundoplanum, in cujus parte ſuperiori gemmulæ oculatæ ac planæ denſo agmine in orbem conſitæ ſunt; ſunt autem flores in foliis colore primum viridi-fuſco, ac in capitulo medio colore albicante in gemmulis extuberantibus ſubflavo, in quibus tunc temporis multo humore unctuoſo, qui ex oculis exſudat, irrigati ſunt, poſtea in foliis magis & magis rubeſcunt in tantum ut colore rubicundo-ſanguineo-ſurdo exterius & interius profundantur, ac in capitulo ejuſque gemmulis extuberantibus quæ humorem unctuoſum ſemper exſudant, ruffeſcant atque ex ruffo fuſceſcant.

Fructus cum adhuc tenerrimi ac velut prima germina ſunt oblongo-anguſta ac velut ſpicæ in capitulo florum gemmis ejus oculatis inſita, quo capitulum rotundum ſpicatum repræſentant, cum autem in juſtam excrevére magnitudinem petiolis longis, tenuibus ac ſurrectis gemmulis oculatis inſident, ac capitulo in orbem coronatim circumſtant; ſuntque forma oblongo-rotundi, longitudine ferme unius pollicis, latitudine ferme dimidii, coloris primum viridi-

ridi-clari ac parum nitentis, procedente ætate flavi, cum vero plane maturi, ex flavo rubeſcentis, odoris quoque aromatici, ſed minus vegeti, æmulantis odorem gingiberis viridis.

Semina quibus fructus in totum repleti, plana, in una parte tenuiora rotundiolæ oræ maxime in parte craſſiori duobus lateribus planis exceptis iis quæ non in medio fructus ſunt quæ latere uno exteriori ſunt convexo conſtantia, jacentque ordine ſuper ſe invicem lateribus ſuis planis in latitudine fructus membranis tenuibus ac ad oras carne tenui fructus à ſe mutuo ſejuncta, ac ſub cortice fructus extuberant, ſuntque primum transparentia ac inſtar eboris albicantis coloris venulis magis albicantibus ſtriata, dein matura ex viridi ſubflava cum venulis fuſceſcentibus, cum plana ſicca ſubrufa.

Oleum ex radice ſeu potius ex ejus corticibus per diſtillationem extractum tenue, clarum & virideſcens, odoris minus grati, eſtque pingue & ſubamarum, in diſtillando cum aqua aſcendens eique incumbens.

VIRES EJUS.

SErvit pro arthritico dolore juvatque in puerperis ac infantalis cum ejus decocto facta corporis lotione. *Radix* trita & mixta cum aqua ſulcos oris in unctione ſanat; eadem trita & in aqua epota addito momento ſacchari confert in febre frigida uti & in ardore jecoris; eadem trita in aqua ſalſa ſeu marina ſervit pro vermibus ex putrefactione humorum natis facta unctione membrorum. *Cortex Radicis* tritus & in aqua epotus proficuus eſt pro phlegmate & pro angina, atque eodem modo juvat in febribus ac fluxu ſimplici & dyſenterico, uti & in ardore hepatis & oris aperturis ac ſciſſuris. *Oleum* ex radice extractum ſervit reſtinguendo ardori jecoris conducitque in dolore capitis, in colera exuſta, halitumque gravem & male olentem reficit juvatque pro ſulcis oris.

FIG. 9. & 10.


Duæ hæ ſpecies *Panel* à noſtris authoribus deſcriptæ ab invicem differunt, quarum ſecunda non multum diſſimilis eſt *Nimbo* Acoſtæ, & ab Horto, & Bauhini in Pinace memoratæ *Arbori Indicæ fraxino ſimili oleæ fructu*: quanquam differentia quædam videtur eſſe inter duas ſpecies *Panel* & *Nimbo*, inprimis in foliis, tamen flores & fructus *Narum-Panel* floribus & fructibus *Nimbo* fere ſimiles ſunt: quare utramque eandem plantam eſſe arbitramur. Sæpius enim comperimus delineationes vetuſtiorum authorum eſſe valdè imperfectas; hæ verò majori lumine viam nobis monſtrant ad perfectiorem cognitionem.



Cara-nosi. lat.
കരിനൊച്ചി Mal.
Arab.
Bram.

CÁRA-NOSI.

FIG. 11.



Ara-Nosi cujus est & altera species dicta *Bem-Nosi*, lingua Bramanum *Negúnda*, est frutex altitudine sesquihominum plus minus, nascens in arenosis. Fig. 11.

Radix fibrosa, albicans & exteriore crusta fuscescens, cortice tenui & subamaro diutius autem manso subacri.

Stipites qui plures ex radice assurgunt ac surculi nodulati, vetustiores cinerei & sub corticula cinerea virides, novelli virides & ad spadiceum vergentes.

Folia in petiolis qui bini & bini è nodulis surculorum proveniunt tum unum numero, rarius etiam duo, ac etiam passim terna congregatim conspiciuntur, ac tum medium quod in summitate majus est; suntque oblongo-rotunda & anterius cuspidata, margine æquabili textura crassitiei mediocris & mollia, superficie lenia, in recta parte virore fusco ac nitente, in adversa claro & surdo, saporis amari & acris.

Ex costa media *Costulæ* in adversa parte eminentes & tractu in recta conspicuo obliquo annulari ductu excurrunt, ac prope marginem subtiliter in se invicem deferuntur: foliis odor gratus & hortensis æmulans odorem foliorum lavendulæ.

Flores proveniunt in summitate surculorum foliaceorum in petiolis qui ex nodulis supra exortum foliorum parvorum comitaneorum bini & bini & in ordine decussatim exsurgunt, ac iis plures congregatim brevibus pedunculis insident: sunt autem flores purpureo-cœrulei, ac odoris ejusdem uti folia, sed magis vegeti uti flores lavendulæ, constantque quinque foliis difformibus, & inferiora versus collo campaniformi, unum ex foliis surrectum est & latius, ac interius cochleatæ cavitatis & pilosum uti & collum florum quod ad ejus folii partem est, interius pilosum est, quatuor reliqua folia in latum ferme expansa ac magis inter se similia sunt, nisi quod quæ folio surrecto proxima sunt, parum latiora & rotundiora, duo reliqua anteriora versus contractiora.

Stamina in floribus quatuor tenuia, surrecta, purpureo-cœrulea cum nigricantibus ac arcuatis apicibus emicant, atque inter ea stylus tenuis purpureo-cœruleus, & versus folium surrectum cum cuspide bifido inflexus, qui ex rudimento fructus quod intra calycem est, originem sumit.

Calyx qui florum collum inferius arcte arripit, eſt quinque brevium viridi-dilutorum cuſpidatorum foliorum, ac coſtulis tenuibus in longum verſus cuſpides ſtriatus.

Gemmæ florum forma rotundiolæ: in iis quatuor folia quæ inter ſe magis ſimilia, exteriora ſunt ex parte folium quintum, quod latius, circumplectentia.

Fructus ſunt baccæ rotundæ, parum oblongæ, ejusdem ut flores odoris, maxima parte calyci inſidentes ac à calyce comprehenſi; ſuntque eâ parte, qua in calyce ſunt, colore viridi-diluto, in parte ſuperiori primum rubeſcentes & nitentes, ac dein cum ſicci ſunt inſtar atramenti nigricantes. In medio eſt oblongo-rotundum oſſiculum durum carne viridi & dura quæ etiam ex maturitate fructus minus molleſcit, involutum, continens nucleum albicantem, qui ſapore eſt nullo.

Cára-Noſi eſt *Noſi* terræ.

Oleum ex radice per diſtillationem extractum clarum, ſubvirideſcens, ſaporis dulcis, acris & penetrantis, odoris grati; in diſtillando cum aqua ſimul aſcendit eique innatat.

VIRES EJUS.

R*Adix* dolores podagræ ſedat trita & cum aqua calida facta perunctione; in decocto data flatus pellit. *Folia* trita & in aqua calida epota ſerviunt pro febre frigida; *foliorum* decoctorum vapor exceptus dolores ventris mitigat.

FIG. II.

Cara-Noſi eſt *piperi ſimilis fructus ſtriatus* Caſp. Bauhini in Pinace lib. 2. Sect. 3. Garcias ab Horto lib. 2. cap. 3. & Chriſtophorus ab Acoſta has arbores deſcribunt ſub nomine *Negunda*, eaſque diſtinguunt in marem & fœminam; videnturque in primâ tantùm ſpecie diſcrepare, utrique unanimi conſenſu dicentes ſolia eſſe aliquantulum ſerrata: quod nec ex delineatione nec ex deſcriptione authorum noſtrorum percipi poteſt. Attamen minimè dubitandum eſt, quin idem ſit frutex, cùm hic noſter etiam lingua Bramanum dicatur *Negunda*: interea certi ſumus hanc delineationem eſſe perfectiorem delineatione iſtorum. In *Balagate* appellatur *Sambuli*, Malabaricè *Noche*, Luſitanicè *Norchila*, à Canarinis *Niergundi*, in *Decun Bache*, & à Turcis *Ayt*.


BEM-

Bem-nosi. lat.

വെൺനൊച്ചി *Mal.*

Arab.

Bram.



BEM-NOSI.

FIG. 12.



Em-Nosi quæ secunda species *Nosi*, lingua Bramanum ..... est quoque frutex maxime conveniens cum *Cára-Nosi*, verum folia hujus in petiolis terna & passim quina congregatim proveniunt, suntque oblongo-angustiora, & anterius in cuspidem angustum contracta, ad petiolum rotundiora & maxima latitudine in anteriori parte magis minusve tenuiter crenata, colore viridi minus fusco, in recta clariori; eorum medium maximum & pollicari pedunculo appendens, dein majora quæ illi proxima, quæ pedunculis pollice paulo minoribus appendent, duo reliqua valde parva sunt & petiolo communi insidentia. Fig. 12.

Flores & *Fructus* iidem.

Bem-Nosi est *Nosi* album sic dictum quod foliis est clarioribus ratione *Cára-Nosi*.

VIRES EJUS.

Radix in decocto data corporis tumorem tollit, enecatque vermes in ventre, exsiccatque phlegmaticum temperamentum. *Foliorum* mansorum halitus nubeculam tollit oculo affecto in flatibus si summo mane adhibeatur; eadem *folia* cum *radice* plantæ parva trita in aqua orizæ ulcera facta unctione sanant. *Folia* tenella cum pipere trita & in globulos formata iis ad duo vel tria initio febris paroxysmi sumptis eam tollunt: *foliorum* succus expressus capillos auget capitis facta perunctione.

FIG. 12.


Secunda species authorum sub nomine *Bem-Nosi*, (i. e. album *Nosi*) ab Acosta distinguitur sub nomine *Negunda fœmina*: quoniam folia ejus sunt magis alba quàm folia prioris, & similia foliis *populi albæ*: ita ut formâ optimè ab invicem discerni queant hæ duæ species. Hæc autem ab incolis magni ducitur, fructusque ejus in quodam cibo (quem *Caril* nominant) quotidie usurpantur, & ob vires suas in arte Medica magno sunt in pretio.

Schetti. lat.

ചെത്തി Mal.

Arab.

bram.



SCHETTÌ.

FIG. 13.

*Chettì* tres ſpecies ſunt, una ejus nominis, altera Fig.13.
Bem-Schettì, tertia *Nedum-Schettì* ſeu *Puà-Schettì*.

Schettì, Ling. Bram. *Padà-Calì*, eſt frutex ex genere virgultorum altitudine unius hominis naſcens in arenoſis & petroſis.

Radix profunde in terram ſe demittit, eſtque cortice exterius rufo-obſcuro, interius autem rubeſcente.

Stipitum ut & *ramorum* cortex exterius rufo-obſcurus, interius albeſcens; ramorum vero ſuperiorum exterius cinereus, intus albeſcens, ac teneriorum caſtaneo-fuſco-rubeſcens.

Folia quæ bina & bina ramos & ſurculos alatim circumſident ſitu transverſo ac cuſpidibus ad ſe invicem inflexis, ſunt oblongo-rotunda, ad petiolum rotundis oris, in ſummitate parum acuminata, craſſiola ac condenſæ texturæ, lenia, in parte recta glabra, valde nitentia ac viridi-fuſci coloris, in adverſa viridi-diluti ac ſurdi, quæ in ſurculis vegetioribus proveniunt ſunt majora cæteris; foliis ſapor aſtringens & amarus.

Ex coſta media quæ ductu inflexo in cuſpidem deſinit ac etiam in parte recta eminet, *nervi* in recta etiam parte nonnihil eminentes recto ac parallelo ductu exeunt qui prope marginem arcuatim concurrunt limbum relinquentes, ac transverſis extantibus venulis utramque folii partem pertexunt.

Flores qui congregatim in umbellis proveniunt, in ſurculorum apicibus ſupra ex origine foliorum, ſunt paſſim quatuor foliorum, rarius quinque oblongo-anguſtorum quæ anterius & ad petiolum rectis oris ſtricta ac velut cancelliformia ſunt, coloris omni ex parte incarnati, interius magis intenſi, ac poſtea ubi flaveſcunt dilutioris ac flaveſcentis, inſidentque pediculo tenui, longo ac ſurrecto, incarnato ſaturo ſeu rubro corallino ac nitente calyci parvo, qui quatuor cuſpidum minutorum, odoris nullius.

E medio florum cum nodulo ſuperiori bifido, rubro-obſcuro ac nitente *ſtylus* parvus emicat qui per pedem transmiſſus ex globulo viridi in calyce ſito qui rudimentum fructus eſt, prodit, ac in orificio pediculi inter unguiculos foliorum quatuor lingulæ ſeu ſtamuncula parva, rubra inſita ſunt, quæ inflexa velut quatuor uncinuli ſunt, qui unguiculos foliorum in angulis intermediis arripiunt.

Gemmæ florum oblongo-rotundæ ſunt & ſuperiora verſus con-

tractiores ac acuminatæ colore prius viridi-obſcuro, exterius in oris foliorum rubeſcentes, interius ex viridi diluto nonnihil rubeſcentes, dein incarnato rubro.

Fructus qui floribus deciduis prodeunt ſunt baccæ ſuis calycibus arctè inſidentes cortice glabro, quæ cum immaturæ ac duriores ſunt, rotundo-parum-oblongæ ac nonnihil colore viridi, dein cum ad maturitatem pervenerunt, formæ rotundioris ac colore rubro-obſcuro-fuſco, dein rubro ſaturo ac nitente, ſuntque carne albicante & parum humida.

In hiſce baccis quæ dulces ac in eduliis ſunt, duo, tria, quatuorve *oſſicula* albicantia jacent, in quibuſdam unum tantum, in quibuſdam vero duo, quæ oſſicula parte qua ſe mutuo contingunt plana ac duûm laterum, in alia autem parte rotunda ac nucamento oſſeo minus duro conſtantes pulpa intus viridi.

Flores hujus fruticis gentiles Deo *Ixora* in ſacris offerunt.

Flores & fructus fert toto anno.

VIRES EJUS.

RAdix trita & in aqua frigida epota ſervit pro febre calida ac ardore manuum, ac prodeſt expuentibus ſanguinem; eadem cum aqua frigida in perunctione adhibita ſedat dolores capitis; eadem epota in lacte vaccæ ardoribus renum reſtinguendis confert, uti & fluxui ſeminis reprimendo ſeu in gonorrhœa cum liquore *Surie* in perunctione corporis affecti variolis uſurpata, prodeſt; atque eodem modo uſurpata cum lacte *Coqui* Indici ſervit pro puſtulis, aliiſque morbis cutaneis exſiccandis; fertur quoque pars *Radicis* quæ verſus auſtrum vergit proficua eſſe pro febre habituali ſeu chronica, & quæ ex frigore oborta eſt. Ex *Cortice*, *Foliis* & *Floribus* extrahitur ſuccus qui mixtus cum oleo de *Sirgelim* intus ſumitur ad diminutionem plæthoræ ſanguinis.

FIG. 13, 14, 15.

Sub quod genus hi frutices ſint referendi mihi incompertum eſt, ſiquidem formâ plurimum ab invicem differunt. Quod verò ab ethnicis Indis adhibeantur in ſacrificiis ſui idoli *Ixoræ*, memorat etiam Baldæus in ſuâ deſcriptione Ceylonenſium idololatrarum.

BEM-


Bem-schetti. lat.
വെൺചെത്തി Mal.
Arab.
द्वीपद्कच्छि Bram.

BEM-SCHETTÌ.

FIG. 14.



Em-Schettì, lingua *Bramanum Davì-Padacalì*, frutex quoque eſt ex genere virgultorum & ſecunda *Schettì* ſpecies, quacum maximè convenit; verum hujus *Folia* oblongiora, anterius magis cuſpidata & ad petiolum nonnihil ſtricta & minus craſſa; *Flores* albicantes & ſubflavi, pede autem quo calyci inſident, nonnihil quoque rubeſcente, ac in iis eſt ſtilus ſupernè bifurcatus ex orificio altè emicans & ſtamina quatuor tenuia longiuſcula apicibus flaviuſculis dotata; fructus magis oblongi ac colore primùm viridi, dein viridi-diluto ac ſubflavo, carne intus ſucculenta ac albicante, & oſſiculis albicantibus, ſuntque etiam in eduliis, ac ſaporis ſubdulcis farinacei. Fig. 14.

Flores hic frutex in anno rarius fert.

VIRES EJUS.

TRita cum cumino decocta intus datur pro puſtulis natis in umbilico: ſuccus ex floribus expreſſus ac naribus inditus ſedat dolores capitis.



Nedum-Schetti. lat.

നെടും ചെത്തി *Mal.*

Arab.

क लपडकके *bram.*

NEDÙM-SCHETTÌ.

FIG. 15.



Edùm - Schettì seu *Puà - Schettì*, lingua Bram. *Puú-la - padacalì* est tertia species *Schettì*, & frutex ex genere virgultorum, altitudine duorum hominum nascens in arenosis & petrosis cortice exterius rufo, intus albicante. Fig.15.

Stipites ac *Surculi* novelli virides & alati quatuor scilicet alis substricti.

Folia quoque bina & bina alatim ramos complectuntur vario situ, alia transversim posita, alia anteriora versus surrecta, alia deorsum versus inflexa, suntque longiora lateribus versus anteriora magis contractis in acumen desinentia, ad pedunculum maxima latitudine versus interiora se claudentia, & laterum oras versus exteriora contrahentia, suntque crassiora ac densiora, in utraque parte nitentia, at maxime in recta, in qua colore sunt viridi-fusco, qui in adversa est viridi-clarus, saporis astringentis & amari.

E costa crassiori in parte exteriori tantùm eminente *nervi* intra folium tantum conspicui hinc inde exeunt prope marginem arcuatim concurrentes.

Flores qui valde parvi sunt congregatim brevibus, surrectis ac tenuibus petiolis cum quibus ex parvo cuspidato calyce prodeunt supra foliorum originem nodulis ramorum verticillatim insident, atque etiam hinc inde ipsi ramorum vel etiam caudicis corpori, proveniuntque simul cum germinibus fructuum in ipsorum vertice constantes quatuor foliis cuspidatis cum quibus ex rotundo & cavo calyce emergunt, suntque ut & in petiolis colore rubro ac cœruleo - purpureo, qui in aliis magis est purpureo-ruber, in aliis magis purpureo-cœruleus, in aliis vero magis albicans, odorisque nullius.

Stamina in floribus octo cœrulea seu purpureo - rubra, surrecta,

 api-

apicibus albicantibus dotata, ac cum hiſce ſtylus cœrulei ſeu purpurei coloris, acuminatus, rigidus & ſurrectus ex umbilico calycis emicans.

Fructus qui proveniunt floribus deciduis in ipſis florum petiolis ſunt parvæ ac rotundæ baccæ coronatæ in vertice umbilico qui calyx florum eſt, colore primum viridi, dein albicante ſeu ſubflavo, poſtea purpuraſcente, ultimo in totum nigricante ac nitente; intus carne ſunt ſuccoſa cœrulea quæ ſaporis dulcis & nonnihil aſtringentis, continentque in ſe nucleum unum rotundum, qui cortice eſt rufeſcente ſeu ſpadiceo-diluto, intus pulpa viridi, ſapore ſubamaro & aſtringente.

Flores fert tempore pluvioſo.

VIRES EJUS.

EJus decoctum cum oleo ſervit pro pruritu in unctione partis affectæ.



SCHE-

F. 16.

Scherunàm-Cottàm. lat.

mal.

Arab.

पातरपाणी *bram.*



SCHERUNÀM-COTTÀM.

FIG. 16.



Ottàm tres ſpecies, *Scherunàm-Cottàm*, *Schageri-Cottàm*, & *Cottàm*. Fig. 16.

Scherunàm-cottàm ling. Bram . . . ., eſt frutex duum triumve hominum altitudine naſcens in arenoſis & petroſis.

Radix longa eſt profundè in terram ſubſidens ac permultas longiores tenues fibras capillamentis hinc inde veſtitas tam à latere quam ſubtus emittens; radici cum ſuis fibris cortex eſt exterius rubicundo-obſcurus, intus vero ruſus, ſaporis adſtringentis ſulfurei & infeſti.

Stipites induti ſunt ſcabro cortice cinereo ac interius viridi nonnihil rubeſcente ſeu etiam in inferiori parte ad radicem ubi vetuſtiores ſunt rubeſcente, intus ad lignum albicante, qui in plurimas, tenuiſſimas, planas corticulas, ex quibus compluſis & implexis fomites ignearios conficiunt, reſolvitur & aſtringens eſt, intus ligno ſunt albicante ac proxime ad radicem cavo, alias ſolido; rami quoque vetuſtiores cortice cinereo, teneriores virides, ſuntque ſtipites & rami longis, craſſis, lignoſis ſpinis hinc inde muniti.

Folia quæ hinc inde in ſtipitibus brevibus, rotundis, craſſiolis petiolis proveniunt, oblongo-rotunda ſunt, ad petiolum parum contractiora, ac in vertice rotundo cuſpidata, in recta parte plana, ac in adverſa ex media coſta ſtriata coſtulis oblique anteriora verſus in marginem incurrentibus, quæ nervis transverſis eminentibus, ac rectam tractibus ſuis tenuitur ſtriantibus comitatæ ſunt, viroris in recta parte fuſci & parum nitentis, in adverſa clari ſeu minus fuſci & ſurdi, ſaporis adſtringentis.

Flores qui in ſummitate ramuſculorum ſuis petiolis ex origine foliorum quaſi faſciatim proveniunt ſine calyce, ſunt viridi-diluti, odoris nullius, conſtantque duplici ordine foliorum, quorum quinque quæ exteriora cuſpidata, ſurrecta & interiora verſus nonnihil inflexa ſunt, quinque quæ interiora rotunda ſunt, & ſuperiora verſus punctulis eminentia.

Ex horum medio ex umbilico *ſtylus* acuminatus exſurgit paulò infra acumen quinque tenuia ſtamina ſtelliformiter ejiciens quæ nodulis albicantibus ac dein flaveſcentibus dotata ſunt.

Florum petioli prodeunt in ſua origine foliolis acuminatis.

M *Fructus*

Fructus qui ſurculis inſident parvi & rotundi ſunt adinſtar pirorum lauri ſuperficie glabri, primum virides ac nitentes, dein colore nigro dum maturi ſunt & ſaporis ſubacidi, continentque quatuor grana ſeminis alba ac transparentia in propriis ſuis loculamentis.

VIRES EJUS.

F*Oliorum* decoctorum vapor ore exceptus dentium dolorem mitigat, & vermiculos in dentibus enecat.

FIG. 16.

Authores noſtri dicunt tres eſſe ſpecies *Cottam*, quarum hæc *Scherunam-Cottam* prima ponitur; verùm tertia ſpecies ab iisdem minimè deſcribitur, & forſitan in partibus ſecuturis alicubi inſeretur, quoniam minimè adepti ſumus univerſum opus ſimul: Interea animadverti, ſpeciem ſecundam deſcriptam eſſe in parte prima de Arboribus, ad Fig. 56. ſub nomine *Schageri-Cottam*. Eruditus Jacobus Bontius deſcribit hunc fruticem in ſua Hiſtor. Natur. & Med. Indiæ Orient. lib. 6. cap. 12. ſub nomine *Speciei Corni* ſeu *Sorbi*, quam comparatam cum hoc *Scherunam-Cottam* inveni eandem eſſe plantam



SCHEM-

Schem-pariti. *lat.*

ചെമ്പരത്തി *mal.*

جَبَامْبُغْرُقْطِيْ *Arab.*

देस्रुण *bram.*



SCHEM PARITI.

FIG. 17.



Chem-Pariti quæ quarta ſpecies *Pariti*, ling. Bram. .... eſt frutex quinque ſexve pedum altitudine. Fig. 17.

Radix fibris veſtita albicantibus ſaporis nullius.

Stipites & *Rami* exteriori cortice cinereo, interiori viridi.

Folia quæ hinc inde petiolis rotundis uncialibus ac viridibus tum ſolitaria tum teneris folioſis germinibus comitata ex eadem origine proveniunt, ſunt oblonga, anteriora verſus in cuſpidem contracta, ad petiolum lata rotunditate & margine æquabili inde anteriora verſus in cuſpidem contracta, ac in margine groſſis denticulis inciſa, contextura minus craſſa & valde mollia, ſuperficie glabra, viroris nitentis maximè in recta parte, quæ teneriora viroris ſunt clarioris & viridi, cum emarcida flaveſcunt, ſaporis nullius.

Cum coſta media ex qua Coſtæ exeunt ex petiolo duæ *Coſtæ* majores utrinque una prodeunt, quæ ramos ſuos ſeu coſtulas transverſas verſus marginem emittunt, ſuntque coſtæ venis transverſis raris comitatæ, in recta etiam parte eminentes, at maxime in adverſa.

Flores qui in ſummitate ſurculorum proveniunt ſunt roſæ colore rubicundo-ſato ac pulchro rutilante ut roſæ Alabandicæ conſtantes foliis oblongo-rotundis, quæ valde lenia ac mollia ac nonnihil criſpata, ex ſe invicem prodeuntia ac ſtylo medio circumpoſita & unguiculis inſerta ſunt.

Stylus medius ruber & craſſus eſt, intus albicans, in apice quatuor, quinqueve craſſis, lanuginoſis, purpureo-rubro-nigris nodulis ornatus, atque ex eo hinc inde emergunt ſtamuncula tenuia rubra, quæ flavis nodulis dotata ſunt.

Calyx florum pede eſt albicante & piloſo quinque viridium &

cuſpidatorum foliorum ac in inferiori parte octo foliis cuſpidatis, anguſtioribus & viridibus circumdatus.

Semen nullum habet.

Flores quoque fert toto anno.

VIRES EJUS.

R*Adix* trita & cum oleo epota fluxum menſtruum mulierum redundantem ſiſtit. *Folia* tenera trita addito momento butyri recentis apoſtemata maturant iis ſuperimpoſita; eadem in aqua in qua folia per tempus macerata ſunt epota pro variolis conducit, uti & pro ardore jecoris addito momento ſacchari.

FIG. 17.

In prima parte de Arboribus ad Fig. 29. deſcribitur *Pariti* ſub quatuor ſpeciebus, quarum hæc *Schem-Pariti* quarta eſt, & commodè prioribus tribus adjungi potuerat, cùm neceſſariò ad tres priores ſpecies pertineat: foliis ad oras ſerratis, & flore pleno, ſatis convenit (niſi colore & quòd flore pleno eſt differat,) cum *Roſa Batavico-Indica Modoru*, ſeu *Malva frutescente* Bontii, ab eodem deſcripta in Hiſtor. Indiæ Orient. lib. 6. cap. 46. Præſtantiſſimus quoque Dominus Jacobus Breynius in ſua Centuria Exotica Plantarum, parte 1. cap. 56. deſcribit hunc Fruticem ſub nomine *Alcea Javanica arboreſcentis flore pleno.* Et procul dubio planta hæc etiam eſt ſpecies *Roſa Sinenſis* Ferrarii, ut & *Althea fruteſcentis folio rotundiore Incano* Bauhini in Pinace, ſecundùm firma indicia formæ in floribus & ſeminibus.



BE-



Belilla. lat.
വെള്ളില *mal.*
[illegible] *Arab.*
सवई *bram.*

BELÍLLA.

FIG. 18.



Elilla ling. Bram. *Sravadì*, eſt frutex altitudinis ſesqui-hominis ſinuoſis ac tortuoſis ramis etiam arbores ſcandens, naſciturque in arenoſis. Fig. 18.

Radix ruffa fibras capillatas emittens.

Caules lignoſi, nodulati ac in ſupremis partibus quadrangulati, fuſci, vetuſtiores cinerei, emittuntque hinc inde ex nodulis ſurculos paſſim binos & binos qui ſe mutuo decuſſant ac anteriora verſus incurvati ſunt; ſurculi teneri rotundi & virides ac piloſi.

Folia quæ in nodulis paſſim bina & bina atque etiam tria vel plures congregatim (ſi ſurculi ex nodulis erumpentes teneri ac novelli adſint) petiolis languidis ſesquiuncialibus plus minus longis proveniunt, oblongo-rotunda, ad pedem rotundæ oræ, cum cuſpide anguſto in vertice, tenuia, piloſa ac velut lanuginoſa, in recta viroris fuſci, in adverſa clari, habentque coſtam mediam etiam in recta nonnihil eminentem, ex qua coſtulæ in adverſa maxime eminentes ordinate obliquo annulari ductu exeunt ac proxime ad marginem in arcus minores inflexi diſparens, ſuntque inter coſtas intra folia plexus venarum cancelliformes; folia ſapore nullo niſi ſilveſtri.

Flores umbellatim proveniunt in ſummitate ſurculorum in petiolis qui ſupra originem foliorum exoriuntur, ſuntque ſtellulæ quinque foliorum rotundo-cuſpidatorum, qui apice albicante in ſummitate eminent, ac in media una ruga extuberante interius contracta, ac verſus inferiorem partem oris nonnihil inflexa ſunt; interius colorem habent rubicundo-pulchrum ſeu ſcharlatinum, ac in oris albicantem & ſubflaveſcentem ut & exterius, ſuntque piloſi at magis exterius cum piloſo ac flavo umbilico in medio, inſidentque cum pedunculo oblongo, viridi-diluto & piloſo vertici fructus tenelli ſeu calyci qui oblongo-rotundus ſeu craſſiolus, ac quatuor vel quinque parvorum; anguſtorum ac capillaceorum foliorum eſt, ſuntque odoris nullius.

Gemmæ florum oblongæ efformantes capitulum ad partem foliorum quinquangulatum quod prius eſt viride, poſtmodum flaveſcens, ac dein magis & magis albeſcens.

Fructus oblongo-rotundi & minutulis pilis obſiti cum immaturi ſunt virides, cum verò maturi ad flavum vergentes: intus carne denſa, viridi, ſaporis aſtringentis & ſubacidi.

O Eſt

Eſt autem in iis congeries *Seminum* minutulorum, quæ in ea jacent inter carnem viridem velut ſemina piſcium, ac in quatuor ſeries per membranam intermediam albicantem diſtincta ſunt, ſuntque colore viridi cum in ima ſerie coadunata, ſeorſim autem ſingula conſpectui oblata, viridi-diluta, albicantia & transparentia inſtar arenularum, cum matura ſunt colore nigerrimo.

E *Fructibus* iis qui calyce quatuor ſolum cuſpidatorum foliorum florem oblongo pedunculo ejus vertici inſidentem apprehendunt loco quinti folii calycis cuſpidati, juxta umbilicum unum folium oblongum albiſſimum, quod à poſtica parte eſt oræ rotundæ ac anterius contractum parvo & anguſto cuſpide eminens cum petiolo pollicari nonnihil plano, piloſo-viridi-diluto prodit, eſtque illud ad tactum tenue, piloſum, habens nervulos quinque ſubvirides è petiolo anteriora verſus excurrentes, ac in inferiori parte eminentes, qui ſuas quoque venulas ſubvirides laterales emittunt, odoris ſilveſtris.

Sravadì ling. Bram. eſt candidum, quod nomen huic plantæ datum eo quod foliis ſit candidis.

VIRES EJUS.

RAdix in decocto data hepati refrigerando humoribuſque pituitoſis expurgandis commoda. Eadem trita cum aqua & peruncta corporis dolorem ſedat, oculorumque rubedinem tollit iis applicata; eadem digeſta & decocta in oleo proficuè ebibitur ab infantibus pro puſtulis in ore, ad quod etiam ſervit decoctum *Corticis* in oleo intus ſumptum. *Foliorum* decoctorum fumus ſeu vapor partium externarum dolorem in iis exceptus ſedat; ſuccus *foliorum* & *fructuum* ſimul oculis inditus nubeculam ſeu etiam pelliculam viſum obtundentem tollit.

F I G. 18.

Mirabilis eſt luſus Naturæ in hoc frutice per varios colores, quibus flores exornantur. Eorum aliqui ſunt pulchro-rubicundi, alii verò albiſſimi: qui flores albi apud Indos tam frequenter comedi ſolent, ac apud nos lingulatum blitum vel beta. Ejusmodi mutationem florum diverſicolorum in uno caule videmus in *Solano Mexicano flore magno Caſp. Bauhini* in Pin. ſive *Admirabili Peruviana*, cujus flores alii ſunt flavi, alii rubri, alii albi, aliique diſcolores, non ſecus ac in *Belilla* hac. Niſi ſemina differrent, ea haberi poſſet pro ſpecie arboreſcenti.

MO-



T. 19.

Modera-Canni. *lat.*

മൊദിരക്കണ്ണി *mal.*

مافحيرا فحاضحي *Arab.*

पद्यकणी *bram.*

MÓDERA-CÁNNI.

FIG. 19.



St frutex ex genere virgultorum altitudine duum Fig. 19.
hominum naſcens in arenoſis.

Radix craſſa exterius cortice flavo ſeu rufo, qui albicante farina ſeu calce obductus eſt, intus ligno fuſco-rufo, & grati ac aromatici odoris.

Rami ſunt cinereo cortice, quibus ſpinæ unciales lignoſæ transverſæ hinc inde ac inſident.

Folia in brevibus ſurculis qui intervallo ab exortu ferme unciali ad utramque partem lignoſa & ſpiratim intorta barba muniti ſunt, proveniunt & in ſuperiori eorum parte quæ ſupra barbam eſt, & infra quoque ad eorum exortum in brevibus pedunculis appendent, ſuntque oblongo-rotunda & anterius obtuſe cuſpidata, ad petiolum nonnihil ſtricta, virore utrinque communi ſeu claro & in recta parum nitente, habentque ex coſta media quæ etiam in recta nonnihil eminet & maximè in adverſa, coſtulas tenues obliquo annulari ductu exeuntes, quæ ſe intra nervulos tenues cancelliformiter contextos prope marginem amittunt, ſuntque ad exortum duobus foliis cuſpidatis, anguſtis velut auriculis comitata.

Flores in ſummitate ſurculorum foliaceorum pediculis brevibus nondum ſemiuncialibus duo tresve congregatim prodeunt conſiti in calyce viridi-flaveſcente quinque cuſpidatorum foliorum, ſuntque colore flavo & parum nitente conſtantes quinque foliis tenuibus oblongo-rotundis, & venulis tenuiſſime in longum ſtriatis, quæ unguiculis albicantibus calyci inſerta ſunt.

In medio *Stamina* longiuſcula decem ſubflava conſpiciuntur quæ nodulis flavo-rubris dotata ſunt inferiora verſus albicantia in calyce mutuo unita capitulum medium albicans circumambiunt, & cum iis quinque ſtamina parva ſubflava cum viridibus nodulis ſeu apicibus, quæ ex vertice rotundi albicantis capituli prodeunt.

Gemmæ florum calyce ſuo primum involutæ ſunt ac ſex è ſuo calyce erumpentes, in ſuo apice colore ſunt flavo intenſiori.

Fructus rotundæ baccæ ſunt inferiori parte in calyce arcto, qui foliorum quinque cuſpidatorum eſt, profunde inſidentes, ſuntque primum virides, glabri & nitentes, dein flavi & ſubrubri & ſub exteriori pellicula carne valde rubra, denſa, humida, quæ nullius ſaporis, conſtante. In medio oſſiculum albicans, durum in longum venis ſtriatum, parum nuclei continens.

VIRES EJUS.

IN lotione corporis adhibitus humores evocat. *Radix* inflammationibus partium ſedandis & tumoribus reſolvendis confert trita & iis appoſita: eadem præſentaneum remedium eſt pro ictu virulento colubri; uſurpatur quoque pro febribus præcipue infantium, inteſtinorum torminibus, dolore colico & vermium enecatione, eſtque ſudorifera & urinam ciens artuſque corroborans. Ex *Radicis cortice* alexipharmacum contra venena formatur.

FIG. 19.

F *Modera Canni* eſt ſpecies *Caniram*, deſcripta in prima parte de Arboribus, Fig. 37. Nomenque trahit à *Modira* ob ſimilitudinem myſtacum, quos ad ramuſculos producit. Nam vocabulum *Modira* in lingua Malabarica denotat myſtaces.



CA-

Justicia Ecbolium.

T. 20.



CARÌM-CURINÌ.

FIG. 20.


Urinì duæ ſpecies, *Carìm-Curinì*, & *Bem-Curinì*. Fig. 20.

Carìm-Curinì, ling. Bram. *Pocſoô*, eſt frutex naſcens in arenoſis.

Radix fibroſa & albicans ac infuſcata ſaporis in cortice ſubamari.

Caules ſurculique viridi-fuſci, geniculati & ſupra ſingulos geniculos extuberantes.

Folia quæ petiolis mediocribus, viridi-fuſcis, languidis, interius planis, bina & bina ac ſe invicem ordine decuſſantia proveniunt; ſunt oblongo-rotunda, ad petiolum contracta, anterius in cuſpidem deſinentia, contextura minus craſſa, mollia, ſuperficie lenia, in recta viroris fuſci & nonnihil nitentis, in adverſa clari, ſaporis nullius, odoris hortenſis.

Ex coſta intermedia *coſtulæ* annulari ductu anteriora verſus exeunt proximè ad marginem ſe viſui ſubducentes, ac in recta etiam eminentes, licet maximè in adverſa, inter eas venæ haud eminentes in adverſa clarius conſpicuæ.

Flores proveniunt ex exorta parvorum & rotundo-cuſpidatorum foliorum quæ ſurculos bina & bina ac ordine denſo & decuſſato ſurrectim circumſtant, ſuntque viridi-cœrulei, galeati conſtantes tribus foliis viridi-cœruleis quæ ex galea ad unam partem protenduntur, ac pedunculo candido, nonnihil inflexo ac ſuperius nodulato & longiuſculo quo calyci quinque anguſtiſſimorum, viridium & cuſpidatorum ac tenuiter piloſorum & ſtriatorum foliorum inſident, habentque in nodulo pedunculi cui galea cum foliis ex transverſo adſtricta eſt, bicornua eminentia ex viridi ſubcœrulea & ad poſticam galeæ partem unam laciniam tenuem viridem ſubcœruleam dependentem; ſuntque flores odoris nullius, folia in medio interius ſtriata duo oblongo-anguſta & parum cuſpidata, medium quoque oblongum & latum ac anterius rotunda ora. Per pedunculum albicantem transmittitur ſtylus albicans qui in vertice ex germine capſulæ ſeminalis exoritur.

Floribus deciduis ex calyce prodeunt *Caſpulæ* ſeminales quæ plano-rotundæ & cuſpidatæ ſunt ac haſtiformes pediculo oblongo quadrilatero digitali conſtantes cortice viridi, intus lignoſo, ac in medio in longum ſtriati, ut & in oris una ſtria quæ utrinque per mediam ſuperficiem pedis excurrit.

In ſingulis capſulis *Semina* duo ad utrumque latus unum conſita ſunt per interſepimentum medium, quod ex oris capſulæ ubi ſtriata eſt inſtar latæ fimbriæ excurrit à ſe mutuo diſtincta; ſuntque ſemina forma valde compreſſa, rotundiola ac inſtar cordis cuſpidata cum ſuo cuſpide capſulæ cuſpidem reſpicientia, colore primum viridi-albicante, dein magis albicante, poſtmodum cum ſicca ſubflava, ſeu ſubrufo-pallida, ſuperficie ob punctula eminentia maximè cum ſicca ſunt ſcabra, ſaporis nullius.

VIRES EJUS.

RAdix decocta & ſumpta ſervit pro doloribus arthriticis; decocta cum oleo & butyro vires adauget; eadem trita & cum oleo de *Sirgelim* data mitigandis podagræ doloribus confert; decoctum ex *Radice* & *Foliis* epotum frangit calculos; eâdem quoque virtute ſunt *Folia* contuſa & ſimpliciter colligata ſuper ventre. *Succus ex Foliis* extractus ſervit pro calculo. *Folia* in decocto data in dyſuria proſunt; eadem epota in aqua calida in tuſſi & doloribus calculi conducunt, quam etiam virtutem habent ſi cum aqua calida ad perunctionem ventris adhibeantur.



BEM-

Adhatoda
(Justicia) Betonica

F. 21.

Bem-curini. *lat.*

വെങ്കുറിഞ്ഞി *mal.*

بجهنْ فحوْزِ نجرِبْ *Arab.*

पाकसो *bram.*



BEM-CURINÌ.

FIG. 21.

Em-Curinì, lingua Bram. *Davò-Pocsò*, à *Carim-Curinì* non differt nisi in floribus & capsulis seminalibus. Fig. 21.

Flores hujus proveniunt in summitate surculorum è nodulis supra ex parvis albicantibus cuspidatis foliis quæ in nodulis singulis quatuor numero sunt & tria magis juncta ad florum exortum, suntque hæc folia tenuia & nonnihil transparentia ac costis viridibus, quæ ex costa media binæ & binæ excurrunt, ac prope marginem in se invicem arcuatim deferuntur, striata, & quidem ex singulis nodulis unus prodit flosculus; sunt autem flores albicantes, odoris nullius, collo minus longiusculo calyci qui quinque viridium cuspidatorum foliorum est, insidentes ac cum calyce insidentes nodis surculorum, constantes quatuor foliis tenuibus uno folio ex collo seu pede surrecto quod latissimum cochleatæ interius cavitatis & in cuspidem constrictum, tenuissimum & transparens, in exteriori parte cum costa crassiori media utrinque una costula quæ versus cuspidem inflectitur ex collo striatum tribus foliis cuspidatis ex collo transversim ad unam partem expansis, quorum quod medium latius est & subrubris radiis ac undulis inter colorem album tenuiter variegatum, estque collum florum nervis tribus quæ ad tria transversa folia excurrunt, striatum.

Stamina in hisce floribus duo albicantia folio surrecto ex adverso tractus costarum lateralium stricte adjacentia ac cum

R api-

apicibus ſubviridibus, quæ brevia filamenta tanquam appendices demittunt ad ſe mutuo nonnihil arcuatim inflexa, ac cum iis conſpicitur ſtylus ſeu filamentum albicans mediæ coſtæ folii ſurrecti ſtricte accumbens, quod ex globulo oblongo-viridi, qui in calyce eſt, excurrit.

Floribus deciduis *Calyx* ſe claudit, gemmas oblongas ſeminales conſtituens.

VIRES EJUS.

R*Adix* in decocto data ſervit pro febribus ac capitis corporisque malis affectionibus. *Folia* frixa in oleo dein contrita ulceribus ſanandis applicantur.




F. 22.
Caretti. lat.
Mal.
Arab.
bram.

CARETTI.

FIG. 22.



Aretti lingua Bram. *Tiringoësi*, est frutex in inferiori parte caulium repens super terram ad altitudinem unius hominis assurgens. Fig. 22.

Radix fibrosa nigricante & tenui cortice, intus ligno albo, odoris nullius.

Stipites virides densis aculeatis spinis in totum muniti intus corculo fungoso albo.

Folia in surculis foliaceis rotundis, tenuibus, viridibus, qui bini & bini ex adverso in communi ramo prodeunt, ac ad exortum extuberant, brevissimis petiolis bina & bina & in duabus densis seriebus proveniunt, comitata ad exortum duabus spinis quæ rufæ seu rubescentes & inferiora versus inflexæ sunt, suntque parva, forma oblongo-rotunda, anterius & ad petiolum rotundo-cuspidata, versus interiora nonnihil clausa seu crispa, textura solida, crassitie mediocri, superficie plana, glabra & tenuia, viroris in recta fuscioris, in adversa communis, saporis amari & subacris, odore nullo nisi silvestri.

Ex costa media quæ in adversa tantum extuberat, & cum apice anterius prominet, *Venæ* subtilissimæ excurrunt, suntque in adversa in qua maxime conspicuæ venulis cancelliformiter intercurrentibus comitatæ.

Flores spicatim proveniunt in summitate petiolorum propriorum, qui vel solitarii vel bini & terni supra ex surculorum foliaceorum exortu proveniunt ac longi duas ferme spithamas, incurvi, aculeati, inferiora versus raris pilis obsiti, striati, viridi-diluti, ac in vertice spicarum numerosis foliis angustis & cuspidatis vestiti sunt: sunt autem flores flavi quinque foliorum oblongo-rotundorum ac angustorum & à se mutuo nonnihil distantium, quæ venulis oblique anteriora versus in longum striata sunt, unum folium quod minusculum & latiusculum est ac nonnihil interiora versus inflexum seu cochleatæ cavitatis lineis rubris transversis variegatum est.

In medio *Stamina* decem surrecta, albicantia ac viridi-diluta & pilosa sunt, gerentia quælibet in suo vertice apicem flavo-obscurum.

Calyx eſt quinque foliorum oblongo-rotundorum ac nonnihil denticulis inciſorum, quæ verſus interiora reflexa ſunt, colore viridi-ſubflavo-fuſco.

Gemmæ florum oblongo - rotundæ ſunt ſuperiora verſus nonnihil contractiores, ac viridi-ſubflavo-fuſcæ.

Fructus qui floribus deciduis è calyce erumpunt ſunt echini virides majores oblongo-rotundi, valde plani, ac exterius utroque latere numeroſis ſpinis ſeu aculeis longis acuminatis, rigidis ac ſurrectis obſiti, primum virides, poſtea cinereo-nigricantes, ac duri cum ſpinis ſeu aculeis durioribus, interius ad corticem carne craſſiola viridi, quæ plurimis guttulis hinc inde exundantibus eſt irrigata, obducti, ac lata in medio cavitate.

Fabæ in echinis duæ, tres, quatuorve ac etiam ſolitariæ continentur umbilicis tenuibus ac albicantibus dorſo echini, annexæ, ſuntque fabæ oblongo-rotundæ, primum virides maxime verſus umbilicum cum maturæ ac ſiccæ ſunt, cortice duro, albo-cinereo, venuliſque nigris undulantibus ſtriato, intus albiſſimæ.

VIRES EJUS.

R*adix* & *Cortex* contriti & in decocto dati pro tumore hernioſo conducunt, ad quod etiam ſerviunt *Folia* trita & in lacte acido epota, ſeu etiam ſi una cum Coquo Indico trita ignique admota partibus hernioſis apponantur. *Fabæ* tritæ atque cum lacte Coqui Indici mixtæ pro hernioſis quoque conducunt ventri interiori applicatæ; eædem in pulverem redactæ & cum vino epotæ in hernia quoque proſunt, ac inſuper flatus diſſipant, dolorem colicum ſedant ac ſtomachum debilem confortant, quin & in pulverem toſtæ ac in vino datæ menſtruis mulierum provocandis ſerviunt. Ipſa *medulla fructuum* quoque in calculo prodeſt in pulverem facta & in vino data; in morbis endemiis eodem quoque modo uſurpata.

FIG. 22.

Clariſſimus Carolus Cluſius primus hanc plantam deſcripſit in ſuis Exoticis lib. 3. cap. 15. vel potiùs fructus tantùm ejus, ſub nomine *Lobi ἐχινώδεος*: & in eo eum alii ſcriptores ſecuti ſunt, donec Caſparus Bauhinus folia ejus nota faceret ſub nomine *Arboris exoticæ ſpinoſæ foliis lentiſci.* Verùm noſtri Authores præ cæteris laude ſua minimè fraudandi ſunt, quod primi veram delineationem & deſcriptionem totius plantæ prodiderunt. Petrus Pena quoque in Adverſariis ſuis mentionem facit hujus plantæ ſub nomine *Bonduch Indorum.* A. 1674 accepi ejus quaſdam ſiliquas penitus recentes cum ſuis ſeminibus: quæ terræ inſita cum progerminarent producebant duas plantas, quæ repentium ſpeciem referebant, excreſcebantque in palmæ latitudinem: ſed hyemali frigore perierunt, nil obſtante omni cura. Hic *Caretti* non tantum creſcit in Malabar; ſed & in compluribus aliis locis Indiæ, ut & in Braſilia: prout Piſo teſtatur in ſuo libro IV. cap. 42. ubi deſcribitur ſub nomine *Inimbóy*: verùm delineatio ejuſdem nullius valoris eſt. A Luſitanis vocatur *Silva do praya.*

CU-

Stylocoryne Webera
Cupia
(Webera) corymbosa. Dc.


T. 23.

Cupi. *lat.*

കുപ്പി *mal.*

Arab.

वीरामठकि *bram.*



CUPÌ.

Rondeletia asiatica L. sp. 244

FIG. 23.


Upì, lingua Bramanum *Cità-Matakì*, eſt frutex altitudine unius hominis naſcens in arenoſis. Fig. 23.

Radix albicans & fuſceſcens, fibroſa, cortice ſubamaro.

Stipites & rami cinericei, rotundi, nodulati, ligno albo, corculoque intus flavo, ſuntque rami & ſurculi paulo ſupra nodos bini & bini paſſim prodeuntes.

Folia quæ petiolis curtis, uncialibus, craſſiolis, rotundis, interius planis, viridi-fuſcioribus ac ſtriatis bina & bina proveniunt, ac in ordine ſe mutuo decuſſant, oblongo-rotunda & anguſta, anteriora verſus rotundis oris in cuſpidem tenuiter contracta ac denſæ texturæ, ſuperficie plana, in recta parte viridi-fuſca & nitentia, in adverſa viridi-clara, ſaporis ſubaſtringentis & ſubamari, odore jucundo.

E coſta intermedia *Coſtæ* in adverſa ſolum parte eminentes transverſo parum obliquo, annulari & parallelo ductu ordinate bina & bina exeunt folium in recta ſtriantes, venulis tantum ſubtilibus, nullis vero nervis eminentibus intertextæ.

Flores qui umbellatim proveniunt in petiolis qui in ſuperiori parte ſurculorum paſſim bini & bini oriuntur, albicantes, ex vetuſtate flaveſcentes, odore fragranti & grato, conſtantes quinque vel etiam ſex foliis oblongo-rotundis & tenuiter rotundo-cuſpidatis ac anguſtis & craſſiolis in ſtellæ formam expanſis ac inferiora verſus reflexis, & pede ſeu collo craſſiolo brevi intus cavo calyci quinque anguſtorum & cuſpidatorum foliorum inſidentes; ſunt autem folia venulis haud ſtriata ac in medio in longum pilis interius obſita, in unguiculis interius quoque piloſa & orbiculari orificio piloſo colli inſita.

E medio orificii orbicularis emicat *Stilus* albicans qui ex calycis fundo exortus per collum ſeu pedem florum transmittitur cum oblongo albicante ac ſubflavo capitulo in ſummitate, ac ad unguiculos foliorum inter angulos quos inter ſe relinquunt flamuncula parva, tenuia & ſubflava quinque vel ſex numero pro ratione foliorum prodeunt cum longiuſculis & craſſiolis apicibus ex albicante ſubflavis, qui etiam in flore vetuſtiori flaveſcente rubra linea ſtriati ſunt.

Calyx eſt quinque vel ſex cuſpidatorum viridium foliorum.

Gemmæ florum ſunt forma cylindrica.

Fructus umbellati prodeunt in collo calycis, ſuntque parvi ac duri, rotundi adinſtar pyrorum lauri noſtræ, colore primùm viridi, poſtea nigricantes, nullo excepti calyce, ſed in vertice umbilico quinque cuſpidum coronatim cincti, ſuntque maturi ſaporis ſubdulcis & in eduliis.

In hiſce fructibus ſunt ſeptem, octove plus minus *Semina*, quæ in medio interſepimento quod fructum in longum ſecat, in duos ordines ſunt diſtincta, ac ad ſe invicem alia in inferiori, alia in ſuperiori parte fructus conſita; ſuntque figuræ triangularis duobus lateribus & uno rotundo circumſcripta, primùm colore viridi, dein rubro-fuſco ac poſt nigricante.

Hic frutex bis in anno tempore pluvioſo & æſtivo dat flores.

VIRES EJUS.

FOlia & *Fructus* ſimul triti & permixti cum lacte mulieris ad perunctionem partium affectarum puſtulis natis in pedum & digitorum articulis adhibentur.



CAT-



Cattu-ſchiragam. lat.
കാട്ടുശിരക. mal.
قاطّ جيراغام Arab.
कळाजीरे bram.

CÁTTU-SCHÍRAGAM.

FIG. 24.


áttu-Schiragam, ling. Bramanum Calageri, est frutex ad altitudinem unius hominis assurgens nascensque in arenosis. Fig. 24.

Radix brevis recta in orbem una fascia albicantium ac glandulosarum fibrarum, quæ condensis pilis inter se implexæ sunt, vestita sapore subamaro.

Stipes qui ex radice unus exsurgit, rotundus, crassus unum ferme pollicem, surrectus surculos suos magis ex superiori parte emittens, cortice viridi-diluto, ligno sub cortice subrubro, in medio corculo cavo seu fungoso & albicante, lignoque quod corculo proximum molli, humido, subviridi.

Folia quæ stipitem ejusque surculos investiunt, subinde parvis foliis quæ ex eorum origine oriuntur comitata, sunt forma oblongo-angusta, in inferiori parte lateribus strictis, anteriora versus in mucronem acutum desinentia, in margine dentibus acuminatis incisa, excepto eo qui anterior est versus cuspidem, & ubi in inferiori parte lateribus strictissimis sunt, contextura autem tenuia, languida, in superficie raris, tenuibus pilis obsita, ac in utraque parte ad tactum subaspera, in recta parte virore fusco, in adversa claro, & sapore plane amaro.

Ex costa media quæ etiam in recta parte nonnihil eminet ac in ea plana est, *Costæ* oblique ac arcuato ductu exeunt etiam in recta nonnihil eminentes, ac cum suis ramulis prope marginem in se invicem ac in dentium apices incurrentes, suntque comitatæ nervulis qui adversam partem folii cancellatim pertexunt.

Flores parvi sunt prodeuntes plures simul cum pedunculis viridi-dilutis ex superiore parte foliosorum capitulorum, suntque purpureo-rubro-diluti incisi quinque cuspidatis foliis quæ arcte clausa sunt circa medium viridi-dilutum stylum, ex quo tanquam thecula emicat filamentum tenue, albicans superne bifurcatum, suntque flores odoris nullius.

Semina quæ in foliosis capitulis numerosa continentur oblongo-rotunda ac angusta in longum striata; inferius in cuspidem stricta, ac cum cuspide basi capituli inserta, suntque singula superne in orbita penicillo longiusculorum, albicantium & subflavorum pilorum, ex cujus medio unus flosculus cum suo pedunculo viridi-diluto emergit, circumdata; semina autem primum albicantia, dein subrubra ac cum sicca sunt coloris ruffi.

Hic frutex semel fert flores tempore pluvioso.

VIRES EJUS.

PRo pustulis corporis si contrita cum oleo coquatur, ac cum ejus decocto fiat perunctio: in febre ex colera oborta confert delibutio capitis cum *succo* qui ex ea trita expressus est. *Semina* in pulverem redacta & cum aqua calida epota pro tussi dantur, ac flatibus tollendis serviunt, uti & enecandis vermibus in infantibus, pelluntque ventris dolores ac urinam cient, partique affectæ podagra vel doloribus ex frigore obortis, commoda facta ex eis perunctione cum aqua calida.



PERA-


Peragù. lat.
പെരകു mal.
. Arab.
टाड़किळि bram.

Clerodendrum infortunatum

PERAGÙ.

FIG. 25.



Eragù, lingua Bram. *Saikilò*, eſt frutex altitudine trium pedum naſcens in arenoſis. Fig. 25.

Radix fibroſa eſt colore flavo ſeu rufo, ſaporis ac odoris nullius.

Stipites & *Surculi* rotundi in ſummitate quadrangulati, ac in unoquoque latere una ſtria ſulcati, vetuſtiores cinerei, ſub cruſtula cinerea virides, teneriores ex viridi ſpadicei & tomentoſi.

Folia petiolis rotundis, viridi-dilutis ac interius ſtriatis, tenuiter piloſis ſeu tomentoſis in ſurculis bina & bina proveniunt, quæ ſuperiora ſunt in ordine proxime inferiora oblique decuſſant; ſunt autem forma inſtar cordis humani ac anterius cuſpidata, craſſa ſuperficie piloſa lanugine obducta ac inſtar *Veluti* lenia, virore communi in adverſa dilutiore, ſapore ſubamaro.

Ex coſta ad petiolum utrinque duæ *Coſtæ* exeunt & ſupra hinc inde plures alii exſtantes in parte adverſa atque etiam in recta conſpicui diffundentes plurimos nervulos transverſos qui in ſuperficie adverſa exſtantes eam inæqualem reddunt ac in recta tractuum ſuorum veſtigia relinquunt.

Flores bini & bini proveniunt petiolis rigidis oblique ſurrectis in ſurculorum ſuperiori parte hinc inde ſupra ex origine parvorum ac ſe mutuo in ordine decuſſantium foliorum, quæ quidem cum majoribus forma conveniunt, at longe minora manent, & minora ſunt quo apici ſurculi propiora.

Sunt autem flores candidi conſtantes quinque foliis oblongo-anguſtis ad unam magis partem conſitis, quæ in medio una vena aliis nonnullis conſpicuis ſtriata ſunt, inſidentque pediculo albo ſubflavo calyci amplo laxo quinque foliorum cuſpidatorum, quæ in medio anterius nervulis ſtriata ſunt.

E medio florum quatuor *Stamina* tenuia, candida, longa cum nigricantibus ac incumbentibus lunulatis apicibus ad eam partem verſus quam folia minus ſita ſunt adjacentia & verſus folia nonnihil inflexa, ac cum hiſce unus ſtylus tenuis, candidus, in ſummitate viridis ac bifidus prodiens è primordio fructus, quod ex calycis orificio ſe exerit. Flores odoris ſunt gravis maleolentis.

Calyx quinque oblongorum cuſpidum, exterius viridis, interius albicans.

Gemmæ florum rotundiolæ, primum ſubflavæ, dein albicantes.

X Flori-

Floribus deciduis ſuccedunt *Baccæ* ſingulæ à calyce laxo primum in totum comprehenſæ, dein è calyce ſtelliformiter expanſo ac exteriora verſus reflexo emicantes, ſuntque primum virides, dein ex viridi-fuſco cœruleſcentes, poſt cum plane maturæ nigræ & nitentes, cortice tenui intus parum ſucculentæ, ac comeſtæ nonnihil adurunt.

Semina quæ fructus in totum replent ac in ſingulis duo, tria, vel etiam unum numero, una parte rotundiola, altera plana vel duobus planis lateribus conſtantia, in latere rotundo nervulis eminentibus cancellatim ſtriata ac colore cùm ſicca ex rubro nigricante.

VIRES EJUS.

R*Adix* proficua eſt pro lienteria & inteſtinorum torminibus & dolore colico in lacte acido vel etiam vino data. Eadem in pulverem redacta ad puſtularum exſiccationem confert. *Foliorum* ſuccus epotus lumbricos in ventre enecat.



NA-


Gilibertia Nalugu
(Aralia chinensis)
F. 26.
Nâlugu. lat.
mal.
Arab.
bram.

NÁLUGU.

FIG. 26.


NÁlugu lingua Bramanum *Dinò*, eſt frutex ad altitudinem duûm hominum aſſurgens naſcenſque in arenoſis. Fig. 26.

Radix fibroſa cortice rubeſcente ac fuſco qui intus eſt albicans, corculo in medio ligni ſubrubro.

Rami & *Surculi* nodoſi, ſuperiores angulati, virides, ligno pauco maximè ad corticem & in filamenta fiſſili, corculo intus molli.

Folia in ſurculis qui ad exortum extuberant, brevibus, rotundis, craſſiolis ac interius ſtriatis petiolis bina & bina proveniunt, iiſque paſſim quinque, etiam tria & ſeptem, quorum unum ſemper in ſummitate eſt, appendent, ſuntque ſurculi hi foliacei, punctulis aſperi, ut & petioli foliorum, ac in ſua origine ad nodos ramorum tuberculis viridibus ac rubeſcentibus, turgidi & interius in angulum extenuati ac à primo pari foliorum ſulco ſtriati; folia autem forma oblongo-rotunda ſunt; anterius parum contracta ac cuſpide anguſto brevi eminentia, in margine rotundis denticulis inciſa ac criſpa lateribus verſus interiorem partem contractis, textura denſa, duriola, viroris in recta parte fuſci & nitentis, in adverſa clari, ſaporis adſtringentis ac ſilveſtris.

Ex coſta quæ in adverſa parte & nonnihil in recta eminet *Coſtæ* ferme binæ & binæ in adverſa maxime, minus vero in recta eminentes obliquo annulari ac parallelo ductu proxime ad marginem exeunt ac reflexa in ſe invicem incurrunt, ſuntque condenſis transverſis venulis quæ in utraque ſuperficie conſpicuæ ſunt, intertextæ, quæ proximæ origini ſurculorum ſunt folia minus longa ſunt cæteris, eſtque folium quod in ſummitate ſurculorum eſt omnium maximum, ac anterius rotundioris oræ.

Flores umbellatim proveniunt in petiolis planis qui in medio ſtriati ac ex punctulis ſubaſperi ſunt, ac è nodulis caulium erumpunt; ſunt autem flores parvi ac quinque foliorum acuminatorum, quæ inferiora verſus reflexa ſunt, coloris albicantis ac viridi-diluti; ex medio florum eminet capitulum album, quod in vertice decem denticulis brevibus emicat in ſe ſtylum parvum cum globulo viridi-diluto, ex quo prodit, in ſe recondens.

Calyx florum parvulus eſt conſtans foliis quinque cuſpidatis, viridi-dilutis, quibus arcte florem apprehendit.

Fructus qui in umbellis ſunt forma plano-rotundi, primum virides, dein cum maturi ſunt cæruleo-nigri, carne intus ſucculenta, cujus ſuccus eſt cæruleus ac nonnihil unctuoſus; comeſti os adurunt, punguntque.

Semina quæ intus continentur octo, novem in orbem uno ſimplici ordine ſita ſunt, ac mediante carne fructus à ſe mutuo interſtincta, ſuntque trium laterum, quorum duo plana ac unum rotundum & coloris ruffi.

Bis hic frutex in anno *Flores* fert tempore pluvioſo & æſtivo.

VIRES EJUS.

Radix in decocto data dolores ſtomachi compeſcit uti & dolores colicos & inteſtinorum tormina. Decoctum ex *ligno* epotum ſedat ſitim in ægrotis. *Folia* trita & igne toſta vertiginem & debilitatem capitis tollunt iis appoſita. *Foliorum* decoctorum vapor exceptus proficuus eſt pro dolore arthritico. *Succus ex Foliis* teneris expreſſus & epotus ſtomachi concoctionem adjuvat. Ex *Foliis* teneris tritis cum oriza & aſſis paratur cibus in forma placentulæ, qui infantibus datur in curſu ſimplici.



NI-

Nirùri. *lat.*

mal.

Arab.

पानणई *bram.*



NIRÚRI.

FIG. 27.



N*Irúri* lingua Bramanum *Páne-poì*, eſt frutex alti- Fig.27. tudine ſeptem & octo pedum naſcens in arenoſis.

Radix in brachia diviſa, ac fibris capillaceis veſtita, ligno duro ac cortice adſtringente, qui ſub cruſta fuſcâ ruber eſt.

Stipites ac rami cortice ruffo qui ſaporis ſubdulcis & adſtringentis; è ramis hinc inde prodeunt ſurculi ſeu petioli foliacei valde tenues & virides ac tenuiter piloſi, quibus folia breviſſimis petiolis hinc inde alternatim ex partibus adverſis appendent, ſunt autem folia parva, oblongo-rotunda, tenuia, plana, glabra, in recta parte virore fuſco, in adverſa claro, ſaporis nullius, niſi quod diutius maſticata tenuiter pungant.

E media coſta *coſtulæ* tenues exeunt ac ex iis *venulæ* ſubtiles venulis cancelliformiter intra folium contextis comitatæ, ſuntque folia quo magis ab origine petioli communis recedunt, eo majora.

Flores proveniunt in ſurculis foliaceis ſupra ex origine foliorum in brevibus ac tenuiſſimis petiolis, ſuntque parvuli conſtantes quinque foliis rotundis, inferiori parte rubris, in anteriori ora albicantibus.

In medio eſt *ſtylus* viridis, craſſiolis primordium fructus cum duobus ſtilulis ex adverſo oppoſitis ac cinctus ad orificium florum quinque flavis nodulis.

Gemmæ florum rubræ & ſuperius albicantes.

Fructus forma plano-rotundioli, primum virides, poſtea cœruleo-nigri, ſapore ſubdulci & ſubaſtringente, intus cum maturi ſunt ſucco aqueo cœruleo repleti.

In hiſce parva ſemina quæ anguſta ſunt continentur, quæ angulata ſunt & quidem trilatera duobus lateribus planis in uno rotundo circumſcripta, primum viridia, cum matura ſunt nigricantia, pulpa ſucculenta intus cœrulea.

VIRES EJUS.

R*Adix* ſervit pro inflatione ventris vel etiam alicujus partis tumefactione trita & appoſita in modum placentulæ. *Folia* apoſtematis maturandis ſerviunt trita & cum lacte acido iis appoſita, ad quod etiam conducit *Foliorum* & *Corticis* ſimul tritorum cum aqua calida lotio.

FIG. 27.

Hæc planta, quantum ſciam à nemine alio deſcripta eſt, haberique poteſt pro ſpecie *Vitis Ideæ*, ob ſimilitudinem foliorum & fructuum. D. Jacobus Breynius deſcribit in ſua Centuria Exotica cap. 4. hujuſmodi fruticem ſub nomine *Fruticis Indici Bacciferi*, *Vitis Ideæ ſecundæ Cluſii foliis*, in multis rebus cum *Niruni* convenientem, in tantum ut dubitare nequeam, quin una eademque planta ſit, cum altera alteri formâ non ſit diſſimilis.



HUM-


Datura Metel
F. 28.
Hümmatu. lat.
mal.
Arab.
bram.

HUMMATU.

FIG. 28.



Ummatu tres ſpecies ſunt, una ejus nominis, altera *Nila-Hummatu*, & tertia, *Mudela-Nila-Hummatu*. Fig.28.

Hummatu ling. Bram. *Dotirò*, eſt frutex altitudine quinque, ſexve pedum, naſcens in arenoſis.

Radix fibroſa & capillata cortice albicante, ſaporis nullius, corculo intus viridi & aqueo proxime ad corticem lignoſior.

Stipites virides & nonnihil rubeſcentes intus quoque parum lignoſi, ac corculo viridi & aqueo.

Folia quæ in ſurculis in nodulis longis, rotundis, craſſiuſculis, viridi-dilutis petiolis interiori parte tenuiter rubeſcentibus proveniunt, majora, anterius cuſpide longiuſculo eminentia, in oris in cuſpides ſeu angulos ſinuata, ad petiolum latitudine majori, inde ſenſim contractiori, uno latere ex inferiori parte petioli producta, tactu lenia & fractu facilia.

Ex coſta quæ craſſiuſcula eſt & in recta nonnihil, maxime autem in adverſa eminet, hinc inde *coſtæ* exeunt etiam in recta parte nonnihil eminentes ac in cuſpides incurrentes, atque inter haſce coſtas *venulæ* in adverſa tenuiter eminentes transverſim diſtributæ ſunt, quæ rectam partem tractu ſuo ſtriant, ſuntque folia in recta virore fuſco & ſurdo, in adverſa clariori & parum nitente, in coſtis magis claro, odore gravi & maleolente.

Flores qui ſupra ex origine foliorum petiolis uncialibus, craſſiolis ac viridi-dilutis exoriuntur grandes ſunt, campaniformes, uni folii, in totum candidi, oblongo collo, labris rotundis ac in quinque angulos complicatis, habentque cuſpidem anguſtum è ſingulis angulis eminentem, ac in medio labro inter duos angulos ſito una plica ſe criſpant; odore ſunt debili haud injucundo; qui liliorum odoris æmulus, ſuntque folio craſſiolo ac denſæ texturæ ad calycem in collo quinque lateribus circumſcripti, in quibus ſingulis exterius tribus coſtis in longitudine ſtriati.

Inferius è collo campanæ quinque *Stamina* candida & ſurrecta exſurgunt, quæ planos latoſque & ſurrectos apices gerunt: ſunt autem ſtamina parte ſuperiori ad apices rotunda & libera, inferiori angulata & ſtriata, ac angulis laterum colli arcte affixa, cum ſta-

minibus ſtylus albicans prodit rotundus ac liber ex vertice capituli albicantis, quod principium fructus eſt, ac in orificio calycis ſitum, erumpens.

Calyx oblongus & viridis laxe collum florum circumſidens, ſuperius quinque cuſpidatis foliis inſectus ac quinque coſtis, quæ in foliorum cuſpides incurrunt, in longitudine ſtriatus.

Fructus rotundi aculeisque longis ac rigidiuſculis in totum obſiti, colore etiam cum maturi ſunt viridi, intus pulpa albicante, ſuntque calyce rotundo & laxo, ac verſus exteriora reflexo ſuccincti.

Semina in fructibus conferta ſunt in quatuor capſulis oblongis, quæ per interſepimenta ex medio ſtylo ad corticem excurrentia à ſe mutuo diſtinctæ ſunt in ſuis ſeriebus diſpoſita, ac pulpa tenui intercepta; ſunt autem ſemina plana & ſcabra, una parte ubi nonnihil craſſiora ſunt, rotundiola, altera rectiori ora, colore flava ſeu ſubruffa, cortice duriolo, pulpa alba quæ ſapore ſubdulci.

Toto anno maxime autem tempore pluvioſo hæc planta fert *Flores*.


VIRES EJUS.

TRita & mixta cum oleo *Sirgelim* membris tumefactis humoribus imponitur. *Succus Foliorum* expreſſus & mixtus cum ſaccharo dicto Luſitanice *Jagra de cána* confert pro morbo ſacro parte affecta cum eo uncta: *ſemina* ad tria numero ſumpta conducunt in febre frigida; eadem trita & mixta cum aqua in qua macerata fuit oriza, membris tumefactis commodè imponitur.

FIG. 28, 29, 30.

Tres ſpecies *Hummatu* ab Authoribus noſtris deſcriptæ differunt ut plurimum forma foliorum & fructuum: ſunt verò omnes ſpecies *Daturæ*; quod demonſtrant flores & ſemina. Chriſtophorus Acoſta quoque in Aromat. cap. 53. mentionem injicit triplicis *Daturæ*, diſcrimine potiſſimum poſito in colore florum. Cæterum omnes ſunt ſpecies *Stramonii*, creſcentes in variis locis Orientalis & Occidentalis Indiæ. Fruticibus perperam accenſentur, cùm ſint herbæ, quæ primo anno ſuæ ſationis flores & fructus producunt, quemadmodum Cluſius animadvertit in ſua annotatione ad ſupra citatum caput Acoſtæ, & nos ipſi ex propriâ experientiâ obſervavimus. Caſparus Bauhinus in Pinace hanc plantam annumerat ſpeciebus *Solani*, eamque appellat *Solanum fœtidum pomo ſpinoſo oblongo*, & ſecundùm teſtimonium Acoſtæ appellatur in Malabar. *Vmata-Caya*, quod non multum abludit à voce *Hummatu*. Quam periculoſus ſit ſeminum *Daturæ* uſus internus, & quomodo ea homines ſenſibus privent, de eo vide citatum caput Acoſtæ.

NI-


Nila hummatu. lat.
നീല ഉമ്മത്ത *mal.*
Arab.
काळोदृतीयो *bram.*

NÍLA-HUMMATU.

FIG. 29.



Ila-Hummatu quæ eſt ſecunda ſpecies *Hummatu*, Fig.29.
ling. Bram. *Calò-Dotirò*, eſt ſuffrutex altitudine unius hominis, naſcens in arenoſis.

Radix quoque fibroſa, albicans & capillata.

Stipites cortice exterius purpureo-cœrulei ſeu purpureo-rubri & nigricantes.

Folia quæ minora prioris ſpeciei foliis petiolis interius purpureo-rubeſcentibus appendent, ſuntque oblongo-rotunda, ac anterius cuſpidata uno latere ex inferiori parte petioli producta, margine æquabili maxima ferme ad medium latitudine, tactu lenia & fractu facilia, coſtis quæ obliquo & annulari ductu ex media exeunt ac *venulas* etiam transverſas emittunt, in adverſa ſtriata, odore quoque gravi; in foliis tenerrimis adverſa pars ex rubro in totum nigricans, interior viridis.

Flores ejuſdem formæ, ſed colore in totum ex cœruleo-purpureo-rubro-fuſci, qui in calyce magis fuſceſcit, cum in gemmis ſunt, pars interior campanæ albicat, at exterior quoque in totum purpureo-rubra eſt.

Fructus oblongo-rotundi, alii glabri, alii gemmulis hinc inde rigidis & valde nitentibus ac purpureo-rubris obſiti, colore primum viridi, qui in purpureo-rubrum fuſceſcit.

Calyx quoque rotundus, ſed minor & fructui minus proxime adſtans.

Semina ejuſdem formæ ac coloris.

Toto quoque anno & maxime tempore pluvioſo fert *Flores*.

VIRES EJUS.

DEcocta proficua eſt pro membrorum doloribus vel pro eorum induratione in ablutione corporis, uti & pro febre frigida ſi

cum ejus decocto in oleo corpus ungatur; ad quod etiam servit radix eodem modo usurpata. *Folia* trita cum calce serviunt pro pruritu corporis facta perunctione. *Foliorum* & *Fructuum* decoctum cum oleo dolores corporis mitigat eodem modo adhibitum. *Fructus* contusi & tuti demptis seminibus perbelle sanant apostemata & carbunculos iis appositi. *Semina* largius sumpta soporem inducunt, ac periculosa est eorum sumptio necem adferens; hæc in virtute prima est excellentior.



MU-


F. 30.
Mùdela-nila-hùmmatu. lat.
mal.
Arab.
bram.

MUDELA-NÍLA-HUMMATU.

FIG. 30.



Udela-Nila-Hummatu quæ tertia ſpecies eſt *Hummatu*, lingua Bramanum, *Vallò-Dòtiro* à *Nila-Hummatu* non niſi in floribus differt, *Flores* namque hujus ſunt oblongæ campanæ duplicatæ vel triplicatæ, quarum interior ex exteriori, quæ latiori orificio eſt, emicat, ac ſecunda ex prima quæ exterior eſt duos ferme transverſos digitos, tertia ex ſecunda ferme tres; ſunt autem ſingulæ campanæ inferius ex calyce laxo oblongo-rotundo prodeuntes minus lato orificio quam ſimplices campaniformes flores *Nila-Hummatu* in orificio quinque cuſpidibus oblongioribus eminentes ac medio intra duos cuſpides intervallo una plica corrugati; earum duæ exteriores verſus cuſpides ſingulos ex calyce in longum tribus nervulis parallelis tenuiter eminentibus ſunt ſtriati, interior autem ad ſingulos cuſpides uno nervo eminente & duabus venis parallelis, colore quoque exterius ſunt ut *Nila-Hummatu* rubro-fuſco-purpuraſcente, interius autem ubi teneriores albicante ſurdo, & in inferiore parte quæ in calyce eſt ex albicante ſubflavo, cum vetuſtiores ſunt etiam interius nonnihil purpuraſcentes, non vero adeo plene ut *Nila-Hummatu*. Fig.30.

Intra haſce campanas ubi ſe arcte in collo apprehendunt, etiam oblongo-anguſta *Foliola*, quorum alia ſuperne, alia inferne exoriuntur exteriori ſuperficiei interioris campanæ arctius annexa, parte exteriori quoque rubro-fuſca-purpuraſcentia, interiori albicante conſpiciuntur.

In medio intra orificium interioris Campanæ quinque quoque *Stamina* rotunda rubro-purpuraſcentia cum oblongis, ſurrectis apicibus ut in *Nila-Hummatu* proveniunt, parte inferiori qua quadrata, ſtriata, piloſa & candida collo campanæ annexa & agglutina-

Cc ta,

ta, ac cum iis ex orificio calycis prodit *ſtylus* in totum purpuraſcens ſuperne craſſior ex capitulo oblongo, nigricante purpureo, quod rudimentum fructus eſt, emergens.

Calyx quinque cuſpidibus quoque eminet ac verſus ſingulos cuſpides uno nervo eminente in longum ſtriatus, eſtque coloris rubro-nigricantis purpurei.

Apud hoſce medicos non eſt in uſu.



ERI-



Asclepias gigantea.
F. 31.
Ericu. lat.
എരിക്ക mal.
Arab.
चुवी bram.



Avánacu, seu Citavánacu. lat.

malab.

Arab.

bram.

E R Î C U.

F I G. 31.



Rîcu duæ ſpecies, una ejus nominis, altera *Bel-Erîcu.* Fig.31.

Erîcu lingua Bram. *Roèy*, eſt frutex in totum lacteus altitudine quinque, ſexve pedum, naſcens in arenoſis.

Radix fibroſa ac ſubrufa, conſtatque cortice lacteo, intus albicante.

Stipites minus lignoſi, lactei & virides ac albicante farina conſperſi.

Folia bina & bina proveniunt pedunculis curtis & craſſis, viridi-dilutis in una parte rotundis, in interiori planis, quæ ſuperiora ſunt ordine proxime inferiora decuſſant: ſurculi dum magis excreſcunt, foliis ſuis in inferioribus partibus nudantur aliis ex ſuperioribus ſeu tenerioribus erumpentibus.

Sunt autem folia oblongo-rotunda, verſus petiolum contracta, anterius rotunda ora ſeu etiam cuſpidata, rotundo-plana, lenia, lactiplena ut in pediculis, craſſa, fractu facilia, ac manſa os adurunt, viroris communis, farina in adverſa albicante conſperſi, odore gravi.

Ex coſta intermedia in adverſa *Coſtæ* craſſæ & alte eminentes obliquo ferme parallelo arcuato ductu anteriora verſus procedunt, ac à margine reflexæ in ſe invicem deferuntur, *venulas* tranſverſas raras intra folium diffundentes.

Flores qui in caulibus longis, craſſis, rotundis, viridibus, rigidis ac ſurrectis umbellatim ſeu congregatim in vertice ſurculorum proveniunt, ſunt ſtellæ ex albo purpureo-rubeſcentes, conſtantes quinque foliis cuſpidatis odoris debilis haud injucundi æmulantis odorem liliorum, ſuntque folia craſſa ac velut conduplicata & rigida proxime ad cuſpidem uno brevi ſulco qui exterius extuberat interius ſtriata, ac cum ſuis oris & cuſpide cum vetuſtiora ſunt verſus exteriora inflexa; color iis ac cuſpides interius ex albo purpureo-ru-

beſcens, verſus calycem magis albicans & minus rubeſcens, exterius ſub oris pallidior & magis albicans.

In medio florum ſe erigit *Stylus* rotundus ac purpureo-dilutus cum quinque pedunculis qui ſtylo medio ex adverſo angulorum foliorum circumſtant ac annectuntur: ſunt autem pedunculi plani ac è medio ſtylo late excurrentes ſuperius rotunda ora inflexi, & duobus cornibus ad ſummitatem extuberantes ac inferius ſpirali ductu intorti ex membranis conduplicatis conſtantes, ad oras craſſiores & purpureo-cærulei, in una parte ubi ſpiratim intorti ſunt craſſitie maxima, & purpureo-pallidi ad ſtylum medium tenuiſſimi & albicantes: in vertice ſtylus orbiculo ſtelliformi ac viridi-diluto, quod quinque punctorum eſt, ac ſingulis punctis recta in medio duorum pedunculorum eminet, coronatus eſt.

In medio ſtylo ad ejus exortum duo *Globuli* rotundioli, virides ac parte qua ſibi mutuo adjacent nonnihil plani qui rudimenta fructus ſunt, conſiti ſunt; ex hiſce globulis duo filamenta albicantia, ex ſingulis unum, emergunt, quæ per ſtylum velut theculam ad orbiculum ſtelliformem tranſmittuntur, & ſuperiori parte conjuncta ſunt.

Calyx cui ſtellæ inſident foliorum eſt quinque rotundiolorum, acuminatorum ac craſſiolorum colore albicante, ſuntque flores lactei præſertim in ſtylo & in petiolis.

Gemmæ florum ſunt nonnihil cuſpidatæ ac quinque laterum, quæ inferiora verſus plana ſunt & verſus ſummitatem in angulos quinque extuberantes contracta.

Fructus petiolis craſſis ac valde rigidis & intortis inſident ſæpe bini juncti, ſuntque oblongo-rotundi & cuſpidati, ac in una parte rotundo dorſo extuberantes in quo ſutura in longum ex petiolo ad verticem ſtriati, in oppoſita parte planiores, ac hinc inde lacunoſi & inæqualis ſuperficiei, ſuntque cortice viridi qui interius lacteus; intus eſt capſa ſeminalis oblonga quæ à cortice exteriori laxe circumdatur conſtans cotice rigido, duriolo, craſſo, viridi, qui exterius filamentis viridi-dilutis longis ac inter ſe intricatis pertextus ac cortici exteriori laxe annexus eſt.

Semina quæ ſub cortice interiore jacent, ſunt valde plana, rotundiola, inter ſe ſquamatim ſeu ſcutelliformiter poſita ac

ad

ad interiora nonnihil incurvata,primum viridi-diluta ac limbo albicante ſeu viridi-dilutiore in oris, dein magis flaveſcentia, habentque parte qua cuſpidem fructus reſpiciunt oculum in ora, cui penicillus filamentorum tenuium argenteorum inſidet, quæ cum fructus immaturior eſt in oblongis capſulis apertis membranaceis, quæ in longitudine fructus ac ſibi mutuo parallelæ ſitæ ſunt, ac medio corculo viridi-diluto & fungoſo circumpoſitæ, includuntur, ex quibus poſtea cum fructus grandior evadit, erumpunt.

Hic frutex in anno ter *Flores* profert.

VIRES EJUS.

EJus decoctum cum oleo in unctione partis affectæ podagra juvat. *Radix* in decocto data confert pro febre frigida; eadem quoque ſervit pro tumoribus mulierum quos habent poſt partum; eadem cum aqua adhibita in lotione partis morſæ à colubro dicto *Cobra capella*, juvat; ſimpliciter maſticata pro doloribus dentium confert. *Succus Foliorum* extractus ac cum oleo decoctus parti affectæ doloribus arthriticis conducit, ad quod etiam ſervit ſi folia cum oleo peruncta & ad ignem calefacta apponantur.



BEL-ERÍCU.



El - *Ericu* quæ altera ſpecies *Ericu* eſt, ling. Bram. *Davì - Roey*, à priori non differt niſi quod flores in totum albi & candidi ſunt, atque in vertice ſtyli etiam coronati ſtellari orbiculo viridi.

Bel-Ericu eſt *Ericu* album, ut & Bramanis *Davì-Roey*,

Bel-Ericu Malabaribus ſic dicta quod habet flores albos, nam, *bel* eis eſt *albus*.

VIRES EJUS.

TRita & cum oleo de *Vépu* decocta in unctione partis affectæ podagra prodeſt. *Radix* & *folia* trita & in lacte data ſerviunt pro venenato morſu gliris; eaſdem quoque cum *Ericu* virtutes habet.

FIG. 31.

Authores noſtri deſcribunt hîc duas plantas ſub nomine *Ericu*, quæ tantùm differunt in colore florum, & propter ſpeciem ſuam minimè accenſendæ ſunt fruticibus, ſed herbis, quia caules & folia earum quotannis intereunt. Illud porrò nomen diſtinguendum eſt ab alio nomine arboris, quam Braſiliani *Urucu* appellant, quæque cum hac herba nulla in re convenit, eò quòd ſimilitudo nominum errandi anſam præbere poſſet. Eruditus Proſper Alpinus deſcribit in ſua Hiſtor. de Plantis Ægypti cap. 25. has plantas ſub nomine *Beid el oſſar*, aitque eam creſcere in humidis locis circa *Alexandriam*, ad brachium Nili *Calig* dictum. Et Joannes Veſlingius Annot. in idem caput, eam inſignit nomine *Beid & Sſar*. Planta à Medicis Arabibus tantùm vocatur *Oſſar*, fructus verò *Beid el Oſſar*. D. Jacobus Cornutus eandem hanc plantam, Hiſtor. plantarum Canadenſium, cap. 37. nominat *Apocynum majus Syriacum rectum*: eſtque *Apocynum Ægyptiacum lacteſcens ſiliqua Aſclepiadis*, Caſp. Bauhini in Pinace. In hortis Belgicis notiſſima eſt, ubi menſe Auguſto flores fert, verùm nullos fructus nec ſemina: folia quoque quotannis intereunt; ſed radix diu ſuperſtes eſt, procurritque inſtar lolii, niſi coërceatur. Hæc de priore ſpecie, quæ poſteriori ſimillima eſt, niſi quod in colore florum differat, qui in hac albus eſt, ut ſuperius dictum eſt, & propterea ſub nomine *Bel-Ericu* ab autoribus noſtris deſcribitur. Invenio hanc etiam memoratam in Horto Regio Pariſienſi fol. 22. hîc tamen non ita vulgaris eſt ut prior floribus pallido-purpureis.



AVA-

AVÁNACOE seu CITAVÁNACU.

FIG. 32.



Vánacoe quatuor ſpecies, *Avánacu* ſeu *Citavánacu*, *Pándi-Avánacu*, *Cádel-Avánacu*, *Córy-Avánacu*. Fig.32.

Avánacu ſeu *Citavánacu* ling. Bramanum *Erandò*, eſt frutex naſcens in arenoſis altitudine novem decemve pedum, cujus duæ ſpecies ſunt, una cortice viridi-communi, altera rubro.

Radix fibroſa & albicans.

Stipites qui è radice exſurgunt, geniculati, cavi, ac fungoſo, albo, ſubflavo, molli ſiccoque corculo intus obducti, in geniculis fungoſo, albicante molli interſepimento clauſi, pauco ligno, ut & ſurculi quos ex geniculis ejiciunt, cortice amaro, & maximè pungente ſeu lancinante linguam.

Folia, quæ cauliculis longis inſident, ſtelli: formia ſunt ſeptem & etiam octo cuſpidum, qui verſus partem anteriorem longius excurrunt, in margine acutis dentibus inciſa, contextura tenuia, ad tactum lenia, mollia, colore in recta viridi-obſcuro, in adverſa autem viridi-claro.

Coſtæ in iis pro numero cuſpidum ex ſummitate cauliculi velut radii è ſuo centro exeunt, quæ ſingulæ in cuſpidem deſinunt, atque in adverſa parte maxime eminent, minus vero in recta, ſuntque craſſiolæ ac viridi-dilutæ *Nervulos* tranſverſos tenues hinc inde diſtribuentes, quorum qui proxime ad centrum ſunt circa illud velut araneæ rete ſua contextura referunt, qui autem ex ſuperiori parte coſtarum exeunt obliquo annulari ductu anteriora verſus excurrunt in apices cuſpidum, quibus folia in margine eminent ſe inſinuantes.

Sunt autem *Cauliculi* foliorum cum coſtis quæ ex iis exeunt in frutice, qui cortice communi ſeu viridi eſt, viridi-clariſſimi, in eo qui cortice rubro eſt quoque rubeſcentes. Foliis ſapor amarus, ſubaſtringens & ſubacris.

Flores plures congregatim in cauliculis quoque longis, craſſiolis, ſtriatis ac viridibus, brevibus pedunculis proveniunt, ſuntque gemmæ virides plano-rotundæ & cuſpidatæ, ex cu-

jus medio numerosa stamuncula viridi-diluta, quæ gemmulis seu apicibus ex viridi flavo dilutis dotata sunt, erumpunt, & quæ in tria quatuorve ac ad summum sex cuspidata & viridi-dilutafolia, se laxant & aperiunt.

Fructus qui plures simul petiolis ferme duuncialibus & nonnihil incurvis appendent, sunt capitula rotunda, parum oblonga & trium oblongo-rotundorum laterum, quæ singula in medio in longum una sutura striata, ac utrinque à latere suturæ duplici ferme ordine foliorum aculeatorum in longum obsita, exterius viridis coloris ac cœruleo rore consperse, ac sub exteriori cortice viridi lignoso seu corneo cortice constantes; fructus autem adhuc teneriores sunt capitula foliacea magis viridia foliis angustissimis nonnihil surrectis ac viridibus, quæ ipsa florum stamuncula sunt, ac postmodum magis rigescunt ferme instar aculeorum seu spinarum obsiti, habentque in vertice umbilicum rubrum ex tribus foliis constantem qui postmodum fuscescens decidit, suntque saporis amari.

In fructibus tria *Semina* continentur intra unumquodque latus tanquam in propria capsula unum numero membranis lignosis seu corneis quæ stylo medio & angulis laterum adstrictæ sunt à reliquis sejunctum; sunt autem semina forma rotundo-oblonga ac nonnihil plana in vertice habentia unum crassiolum capitulum seu umbilicum albicantem, & parte interiore qua stylo medio accumbunt pellicula albicante tenuissima obducta, & in medio ubi teneriora sunt angulo extuberante ac sutura albicante striata; suntque primum coloris albicantis, dein rubescentis, cum matura spadiceo-fusci & nitentis, ac cinereis undulis variegata, saporis quoque subamari & nonnihil pungentis.


Fert hic frutex *Flores* & *Fructus* duabus tribusve vicibus in anno, tempore pluvioso plures, etiam toto anno si in locis udis & irriguis, qui æstu non in totum exsiccantur, consitus sit, sed rarius.

VIRES EJUS.

RAdix dolores ex flatibus in visceribus obortis levat in decocto data, atque hoc pacto si per dies aliquot sumatur pedum tumorem tollit, uti & renum dolorem ac ventris; nec minus ejus decoctum juvat pro tympanitide & asthmaticis

& igne

& igne ſacro uti & in podagra. *Folia* trita & capiti appoſita ejus dolorem ſedant; eadem ſuper igne toſta in podagra ſerviunt parti affectæ applicata, quin & *Foliorum* decoctorum vapor exceptus in parte affecta proficuus; urinæ curſum promovet ſi cum ejus decocto balneum inſtituatur. *Fructus* purgativi ſunt ſi in pulverem frixi cum ſaccharo dentur. *Semina* renum dolorem mitigant, ſi trita è regione partis affectæ apponantur. *Oleum ex ſeminibus* expreſſum purgativum eſt; quod etiam cum lacte dulci epotum purgat, ac doloribus ventris ſiſtendis confert; juvat etiam in doloribus corporis olei perunctio.



PÁNDI-AVÁNACU.



Ándi-Avánacu quæ ſecunda ſpecies *Avánacu* ling. Bram. *Vollò-Erandò*, à priori ſpecie in eo tantum differt, quod altius aſſurgat, quodque ſtipitibus & ramis eſt valde rubris ſeu miniatis & nitentibus. *Foliis*, *Floribus* & *Fructibus* paulo majoribus. *Semina* quoque eadem, ſed majora & paulo planiora, & inter ſpadiceo-fuſcum & nitentem colorem cinereis undulis rarioribus conſperſa. Hic frutex in hiſce terris rarius quam *Avánacu* reperitur.


Vollò-Erandò ling. Bram. eſt *Erandò* major.

VIRES EJUS.

Cohibet vomitum ſi *Cortex* ejus ex collo ſuſpendatur.

FIG. 32.

Quatuor ſpecies *Avánacu* ab autoribus noſtris deſcribuntur, eædemque ſunt cum *Ricino*, excepta quarta. Hæc videlicet prima diſtinguenda eſt à *Ricino Americano majore ſemine nigro*, quoad ſemina & flores: interque ſe admodum magnitudine differt, ratione ſoli & loci in quo creſcit. In quibuſdam locis fit arbor, in aliis verò non excreſcit ultra quatuor quinqueve pedum altitudinem. Petrus Bellonius narrat in ſuis Obſervation. lib. 1. cap. 18. *Ricinum* multos annos ſuperare & arborem evadere, & ſi eſt *Kikajon* Prophetæ Jonæ, propterea quòd tum forte à quibuſdam æſtimatur eſſe arbor miraculoſa. Hæc prima ſpecies eſt *Ricinus vulgaris* Caſp. Bauhini in Pinace. Quod ad ſecundam attinet (cujus nulla figura exhibetur) utique nullam in illâ à priore differentiam invenio, præterquam in magnitudine, quod & autores noſtri obſervârunt.



CA-



Cádel-aránacu. lat.

കടൈലാരണകു *mal.*

فَنَاضُحِهَلْ عَمَنِحَاقُحُو *Arab.*

देपाळ *bram.*

CÁDEL-AVÁNACU.

FIG. 33.


Cádel-*Avánacu*, quæ tertia ſpecies *Avánacu* eſt, lingua Bramanum, *Japalù*, eſt quoque frutex naſcens in arenoſis. Fig. 33.

Stipites ac *ſurculi* ſolidi.

Folia quæ in pediculis tenuibus quatuor pollicum longis proveniunt, figura à priori in totum differunt, ſuntque oblongo-rotunda, anterius in cuſpidem ſtricta, ad petiolum lata curvitate, rotundis oris tenuibus & raris in margine denticulis maxima ad petiolum latitudine, ſuperficie plana, glabra & texturæ tenuis ac ſubtilis.

E coſta in adverſa parte eminente *Nervi* oblique anteriora verſus exeunt in ſe invicem arcuatim ac ſubtili tractu incurrentes; color foliis in adverſa viridi-clarus.

Flores proveniunt in ſummitate ſurculorum coloris albicantis.

Fructus qui in ſummitate ſurculorum plures pedunculis brevibus, rotundis & tenuibus appendent, ſunt forma oblongi & trilateri tribus plano-rotundis lateribus conſtantes & in medio ſingulorum laterum ſutura ſubtili in longum ſtriati, ad petiolum ſtrictiores, in ſuperficie non foliolis aculeatis non obſiti, ſed punctis lacunoſis effoſſi, in vertice quoque cum teneriores ſunt umbilico trium rubrorum foliolorum, quæ dein decidunt dotati, cortice exteriori viridi-diluto interiori quoque lignoſo ac corneo, ad petiolum calyce parvo, qui cuſpidatorum, viridium foliorum eſt, comprehenſi.

Semina quoque in fructibus tria continentur in ſingulis lateribus tanquam propriis loculis unum, ſuntque interſepimentis lignoſis ſeu corneis, quæ angulis laterum & ſtylo medio adſtricta ſunt à ſe invicem ſejuncta, forma quoque oblonga in parte interiori quæ ſtylo medio fructus accumbunt, pellicula albicante tenuiſſima obducta ac in medio ubi cum teneriora ſunt, angulo eminente extuberant ſutura flava ſtriata, ſuntque cum ſicca parte interiori planiora, in altera

rotundiora & magis extuberantia, coloris in totum nigricantis & parum nitentis, in vertice nullo umbilico albicante sunt, uti quidem semina priorum specierum.

Bis in anno hic frutex fert *Flores* & *Fructus*; flores ferme in Januario & Julio.

VIRES EJUS.


F*Olia* trita & cum aqua epota purgativa sunt; pro morsu serpentis dicti *Cobra Capella* juvant si in pulverem trita vulneri indantur; eadem cum foliis *Pándi-avánacu* & floribus *schem-pariti* in melle permixta pro capitis pustulis serviunt facta unctione; unum fructus semen sumptum usum purgandi obtinet, si tritum in aqua propinetur.

FIG. 33.

Cadel-Avanacu species ordine tertia, exotica *Ricini* species est, cujus semen à quibusdam medicis circumforaneis falso nomine *Granadilla* & *Grana-tilli* appellatur, inque apothecis sub nomine *Cataputiæ minoris* notum est: utut diversum sit ab alia *Cataputia minore*, Bauhino in Pinace memorata sub nomine *Lathyridis majoris*. Eruditus Jacobus Breynius describit in Centuria prima plantarum exoticarum, cap. 54. plantam similem, quam insignit nomine *Ricini Indici minoris foliis solani*, quæ tamen à nostra in eo tantum videtur differre, quod flores nostræ, *Cadel-Avanacu*, ad extremitates ramorum proveniunt, cum tamen alterius flores inter folia compareant.




CODI-


Cadi - avánacu. lat.
mal.
Arab.
bram.

CODÌ AVÁNACU.

FIG. 34.



Odì-Avánacu, quæ quarta ſpecies *Avánacu*, ling. Bram. *Bóin-Erandò*, ſuffrutex eſt naſcens in arenoſis & petroſis altitudine duûm triumve pedum ramis in latum diffuſis. Fig. 34.

Radix tenuis fibraſque tenuiſſimas à latere ac ſubtus emittens ac ſubruſa.

Stipites qui è radice prodeunt, ut & *Surculi* viridi-clari, tenues ac durioli & ſolidi, intus tenui viridi corculo.

Folia, quæ hinc inde in ſurculis breviſſimis petiolis proveniunt, valde parva ſunt ac forma anguſto-oblonga, ad tactum plana, lenia, mollia, in margine minutiſſimis, condenſis ac viridi-dilutis denticulis ſeu crenulis inciſa, habentque coſtulam in adverſa eminentem, quæ & in recta conſpicua eſt.

Flores proveniunt in brevibus petiolis qui ſupra ex origine foliorum oriuntur, ſuntque gemmulæ ex viridi-flavo dilutæ petiolis circumpoſitæ.

Fructus qui brevibus tenuibus pedunculis ad exortum foliorum hinc inde unus numero paſſim tantum proveniunt, quoque forma ſimiles fructibus *Avánacu*, utpote tribus lateribus oblongo-rotundis circumſcripti, in medio laterum ac utrinque à ſtriis uno ſimplici ordine aculeorum ſeu minutiſſimorum ſpiculorum muniti, verùm parvi ac minuſculi ſunt.

Semina quoque in fructibus tria continentur intra ſingula latera tanquam in propriis capſulis unum; ſuntque forma cylindrica & magis cinerea minuſque de ſpadiceo participantia coloris ſurdi.

Flores & *Fructus* hic frutex toto anno fert, ſed tempore pluvioſo uberiori multitudine.

Codỳ-Avánacu Malabaribus ſic dicta quod naſcatur ſtipite ſurrecto, *Boi-Erandò* Bram. eſt *Avánacu* humilis.

VIRES EJUS.

Totius plantæ ſuccus cum vino epotus fluxui ſiſtendo proficuus; idem cum oleo coctus proficue bibitur ad vires debiles reparandas; oleum quod ex tota planta paratur capitis ablutioni commodum ad ejus vertiginem tollendam & cerebrum confortandum.

FIG. 34.

Quarta hæc ſpecies Codì-Avanacu, omnium minima eſt, & figura cum nullis *Ricinis* convenit: ſpeciebus tamen *Lathyridis* forte accenſeri poſſet, cùm figurâ optimè illi ſimilis ſit.

NOTULA POST SCRIPTA

DE FLORIBUS AVÁNACU.

TOmo primo in descriptione specierum *Avánacu* florum unius generis facta est mentio, postmodum autem duplicis & structuræ & indolis flores in singulis comperti sunt; suntque vel unice floridi, vel fructipromi, illi ornatui, hi usui serviunt.

Primi qui sunt generis caulis lateribus accrescunt quinquefolio calyci insistentes, quorum flosculentus apex seminalium punctorum glomeramen refert quasi inconcinnum, sed si obtutum bene acuas, distinctas & gradatim sibi impositas corollas, dilutè flavas observes; eorum cauliculi multijugo talium flosculorum fasciculo circumdantur.


Secundi vero qui sunt generis, è fructigeri cauliculi cacumine semper erumpunt, trino communiter ordine compositi, quorum medius cæteris grandior est. Hi ubi fructus producunt ejusdem primordium binis foliolis, cito deciduis in basi amplectuntur.

Fructuum apex tricuspidato vertice, quousque viridescunt, coronantur, cujus unumquodque foliolum bisulcum est.



ANA-

'Ana-Schunda. lat.
ആന-ച്ചുണ്ട mal.
عنغ جيانطاي Arab.
सदवाइगणि bram.



ÁNA-CHUNDA.

FIG. 35.



Hunda tres ſunt ſpecies, *Chunda*, *Ana-Chunda*, Fig.35.
Chéru-Chunda, quæ omnes frutices ſpinoſi ſunt. *Ana-Chunda* ling. Bram. *Sáda-Vaingani*, eſt frutex ſpinoſus, denſis, longiuſculis, albicantibus, aculeatis ſpinis munitus, ac præ cæteris ſpinoſior, naſcenſque in arenoſis altitudine quatuor pedum.

Radix fibroſa & capillata, primum albicans, dein flaveſcens ſeu rufeſcens.

Stipes craſſior eſt, quatuor quinqueve digitorum ut plurimum craſſitie, ſpinoſus, piloſus ac viridis, corculo molli ſubviridi in medio.

Rami tortuoſi ac ſpinoſi, tranſverſis, aculeatis, longiuſculis, albicantibus ſpinis, denſe muniti ac piloſa lanugine obſiti, colore viridi-diluto, interius quoque ex rubro-purpuraſcentes & nitentes.

Folia quæ petiolis longis, craſſis, rotundis, piloſis ſeu lanuginoſis ac ſpinoſis & viridi-dilutis proveniunt in ſtipite è ramis pergrandia ac majora cæteris ſpeciebus in lacinias cuſpidatas majores ſex, ſeptem, plus minuſve inter quas & minores emergunt utrinque ſinuata & cuſpidata in vertice contextura craſſa, denſâ, piloſâ lanugine obſita, ac in utraque parte lenia ut *Veluti*.

E coſta ſubſpiſſa & piloſa hinc inde *Coſtulæ* exeunt utrinque majores ſex plus minus in cuſpides laciniarum deſinentes, ac cum coſta intermedia in utraque parte foliorum ſpinis munitæ, ac in adverſa parte nervulis valde eminentibus ac cancelliformiter pertextis comitatæ; ſuntque folia in parte recta viroris obſcuri, in adverſa clari, in petiolis & coſtis viroris dilutioris, teneriora autem in petiolis & coſtis interius purpureo-rubicundo-fuſcis, in adverſa viridi-valde diluti coloris.

Flores qui ſupra originem foliorum atque etiam hinc inde in

ramis & ipſis petiolis foliorum, petiolis brevibus, piloſis ac viridi-dilutis plures congregatim proveniunt, ſunt ſtellæ in totum candidæ quinque, rarius ſex foliorum oblongo-cuſpidatorum odoris nullius; ſuntque folia craſſa, interius glabra, exterius piloſa ac lanuginoſa, venula una candida ac nitente in longum ſtriata.

In medio *Corculum* eſt flavum ac in pyramidem ſtrictum ex quinque vel ſex pro foliorum numero ſtaminibus flavis ſurrectis, craſſiolis & nonnihil cuſpidatis ac exterius ſtriatis conſtans, quæ ſtylo medio tenui longiori ac viridi-diluto circumpoſita ſunt: eſtque ſtylus medius exſurgens ex globulo viridi piloſo, qui in calyce eſt, ac rudimentum fructus.

Calyx florum quinque foliorum cuſpidatorum colore maxime exterius viridi-diluto, ac una vena in ſingulis foliis ſtriatus ac piloſus cum ſuis cuſpidibus inter folia florum ſitus.

Gemmæ florum ſunt forma pyramidales ac quinquelateræ & piloſæ.

Fructus qui congregati ſeu faſciati proveniunt, rotundi ſunt, pilis denſis, longis, ſurrectis ac nonnihil hirſutis, ex albicante flaviuſculis undique circumdati ac ſubaſperi, primum virides, poſtea flavi, calycibus ſuis arcte inferius excepti; in hiſce inter pulpam ſucculentam quæ primum viridis eſt, poſtea flaveſcens, numeroſa ſemina continentur in quinque diſtinctas ſeries inter parietes membranaceos intermedios diſpoſita; ſunt autem ſemina plana, rotunda ora ad unam partem rectiore, quæ primum albicantia, dein cum matura ſunt ex flavo-rubeſcentia.

Commune hoc eſt omnibus *Chunda* ſpeciebus, quod ſpinas habeant.

Viribus cum *Schunda* convenit.

F I G. 35.

Tres ſequentes plantæ *Schunda* ſunt ſpecies *Solani*, quod indicant flores & ſemina. Eruditus Guilielmus Piſo deſcribit in Hiſtoria Naturali Braſiliana, lib. 4. cap. 32. plantam dictam *Juripébam fœminam*, quæ plurimum cum hac Ana-Chunda convenit: & prima deſcripta his utitur verbis: *Poſterior altior, ſpinoſior, folia habet grandiora; inferius lanuginoſa & ſpinoſa ornate, laciniata & ſatura virentia; florem eundem cum mare, ſed nitidiorem:* quibus cum figura & deſcriptione Authorum noſtrorum comparatis, parum differentiæ inter has plantas comperietur: eſtque procul dubio una eademque planta.

CHE-



Schéru-schunda. lat.

ചെറുചുണ്ട *Mal.*

جهرو جونطا *Arab.*

वीचपरी *bram.*

CHÉRU-CHUNDA.

FIG. 36.


Héru-Chunda eſt ſecunda *Chunda* ſpecies, ling. Bram. *Sinſaratì*, eſt frutex minor reliquis, altitudine ſeſqui vel duorum pedum ramis in latum ſparſis; ejus caules non rubeſcunt. Fig. 36.

Radix fibroſa & albicans.

Stipes cum ſurculis tenuiſſimis pilis obſitus ac viridis, intus corculo molli.

Folia conveniunt cum cæterarum ſpecierum foliis, ſed multò minora cæteris, piloſa ac aſpera nonnihil, paucioribuſque & minus cuſpidatis laciniis ſinuata.

Flores omnium minores, ſuntque ſtellæ quinque vel ſex cuſpidum coloris cœruleo-diluti & ſubpurpuraſcentis; in ſingulis cuſpidibus in medio venulâ albicante & nitente ac ad umbilicum calycis virideſcente ſtriati.

Corculum quod in medio flavum ſeu croceum eſt, conſtat ſurrectis & craſſis ſtaminibus, quæ ſuperiora & inferiora verſus ejuſdem ferme craſſitiei ſunt.

Calyx quoque ſex vel quinque foliorum cuſpidatorum.

Gemmæ florum primum virides, dein albicantes, poſtmodum purpureo quoque cæruleo colore ſunt, ſuntque forma oblongo-rotundæ & nonnihil ad conum accedentes.

Fructus ex omnibus ſpeciebus maxime parvi ſunt, rotundi, glabri ſine pilis ac nitentes à ſuis calycibus arcte inferius comprehenſi colore dum immaturi ſunt, viridi, dum verò maturi, flavo, dein corallino-rubro.

Semina quæ in fructibus continentur cum cæteris ſunt ejuſdem formæ & coloris.

VIRES EJUS.

R*Adix* confert in febre calida in decocto data; ejus decoctum cum melle intus ſumptum prodeſt pro catarrhis ſeu inſigni gra-

 vedine,

vedine, fervitque in ftranguria, eodem modo ufurpata addito momento *Cardamome* flatibus pellendis ac inteftinorum torminibus fedandis conducit. *Radicis* aut *Foliorum* fuccus decoctus & epotus concoctionem promovet: quin & ejus fuccus cum faccharo datus, uti & ejus decoctum cum melle fervit pro phlegmaticis, juvatque in pectoris afperitate. *Foliorum* & *Fructuum* decoctum addito pauxillo facchari & calcis pro pruritu corporis fervit in unctione partis affectæ.

FIG. 36.

Præftantiffimus Guilielmus Pifo in fuâ fæpe citata Hift. Natur. Brafiliana, defcribit & exhibet delineationem *Juripéba maris*, aitque eam etiam in Brafiliæ locis arenofis crefcere; porrò figuram ejus his exprimit verbis: *Prior, & quidem mas, paulò fœmina eft minor; ad hominis altitudinem vix afcendit; foliaque habet minora, nec multum finuofa, fed laciniata, caulemque rarioribus fpinis obfitum. In fummitate ramorum fert flofculos umbellatim quafi congeftos lactei coloris cum cœruleo mixti, qui exactè qninquangularem ftellam repræfentant, conftantque unico folio in tot triangula effigiato & quafi divifo; in medio autem quafi quinque ftaminula ftant erecta: florem boraginis è longinquo diceres.* Hactenus Pifo: quibus omnibus cum delineatione & defcriptione Authorum noftrorum bene collatis, non dubitabitur quin hæc planta non fit diverfa à *Scheru-Schunda* & *Tllamatlantli*, *Recchi*, fiquidem hæ omnes fpecies funt *Solani fpinofi*.




CHUN-


F. 37.
Schūnda. lat.
Malab.
Arab.
bram.

CHUNDA.

FIG. 37.



Hunda eſt tertia ſpecies dicta ling. Bram. *Dolari*, eſtque frutex major *Chéru-Chunda*, at minor reliquis altitudine trium pedum. Fig. 37.

Radix lignoſa, ruffa & fibroſa.

Stipes ut & *Rami* virides, tenuiſſimis & raris pilis obſiti, intus corculo molli.

Folia uti illa ſecundæ ſpeciei in lacinias ſinuata ſunt ac ferme ſimilia ac paulo majora, ſed minora illis aliarum ſpecierum, in ſuperficie quoque parum aſpera, pilis minutiſſimis obſita, rubeſcentia quoque in petiolis & coſtis, ſaporis ſilveſtris.

Flores quoque ſtellulæ quinque vel ſex cuſpidum coloris cœruleo-diluti & intenſius purpuraſcentis quam illa *Chéru-Chunda*, magnitudine flores primum ſpeciei paululum ſuperantes, at cuſpidibus ſunt minus elongatis, & minores illis aliarum ſpecierum.

Gemmæ quoque ex cœruleo purpuraſcentes.

Stamina corculi etiam flava ac craſſitiei inferius & ſuperne ferme uniformes.

Fructus qui calyci arcte inſident quoque rotundi ſunt, glabri ſine pilis magnitudine mediocri, ferme æquales fructibus *Ana-Chunda* aut paulo minores, cum immaturi ſunt una parte colore viridi, ſuperiori colore albo ſeu eburneo, cum maturi ſunt colore in totum flavo-diluto, ac pulpa viridi-ſucculenta quæ linguam adurit ac pungit.

Semina ejusdem formæ & coloris cum cæteris ſpeciebus.

VIRES EJUS.

AD concoctionem & digeſtionem juvandam, ſervit etiam pro tuſſi & pectoris gravedine decocta in melle & epota, ejus decoctum ſimpliciter pro febribus ex phlegmate & pituita obortis, ad quod etiam ſervit decoctum *Radicis*, hæc trita

 in


in vino data ad vomitum ſiſtendum, eſtque quantitate duarum unciarum ſumpta purgativum humorem pituitoſum per inferiora evacuans.

FIG. 37.

Schunda ſpecies tertia *Solani ſpinoſi Malabarienſis* non differt à prædentibus, niſi quod flores & fructus ſpecici ſecundæ floribus & fructibus ſint majores, & primæ læviores.




CAT-


F. 38.
Cátta-gastúri. lat.
കാട്ടുകസ്തൂരി malab.
Arab.
बोडकळा bram.

CÁTTU-GASTURI.

FIG. 38.



Attu-Gasturi, ling. Bram. *Bónda-Calò*, eſt frutex utplurimum ad altitudinem unius hominis aſſurgens, naſcens in arenoſis. Fig. 38.

Radix lignoſa, fibroſa, albicans, intus viſcoſo, albicante humore, odoris & ſaporis nullius.

Caudex ſurculique rotundi denſis, hirſutis & longis pilis obſiti, exterius in una parte colore rubicundo-obſcuro, in altera viridi.

Folia quæ petiolis longis ac teneris proveniunt in tres ſeu quinque lacinias cuſpidatas, ac alia in latiores, alia in anguſtiores inciſa, quarum quæ intermedia longior eſt ac magis cuſpidata, dein quæ eam ordine ſequuntur, ſerrata in margine, tenuia ac pilis aſperis ſurrectis, hirſutis & longis in utraque parte obſita, in recta parte viridi-fuſca, in adverſa viridi-clara.

Ex petiolo cum coſta intermedia, quæ interius in cuſpidem longiorem folii exit, ac coſtulas hinc inde oblique anteriora verſus emittit, duæ utrinque *Coſtulæ* exeunt, ſuos quoque nervos hinc inde emittentes, quæ omnes etiam in recta parte folii licet magis in adverſa eminent, quarum ſuperior cum ramis in cuſpidem laciniæ quæ mediæ proxima eſt, incurrit; ſuntque coſtæ etiam in recta parte folii licet magis in adverſa eminentes, & in recta quoque viridi-fuſciores ſeu etiam ad ſpadiceum vergentes.

Flores qui hinc inde in ſurculis longiuſculis ſupra ex origine foliorum proveniunt, ſunt forma campanæ quinque foliorum quæ oblongo-rotunda, ac in longitudine groſſis venulis in utraque parte eminentibus ac venulis transverſis retiformiter intertextis ſtriata ſunt, coloris ex albicante flaveſcentis, ad umbilicum roſa purpureo-rubicundo-obſcura quinque dentatorum foliorum notata ſeu inſignita. In medio exſurgit ſtylus craſſus ſuperiora verſus nonnihil in conum deſinens ſtamunculis parvis albicantibus circumveſtitus, ac in vertice quinque nodulis craſſiolis purpureo-valde-rubicundis ornatus.

Floribus deciduis ſuccedunt *Capſulæ* ſeminales oblongæ, cuſpidatæ, piloſæ, craſſis & rigidis petiolis inſidentes, ac inferius octo oblongis, cuſpidatis, viridibus & piloſis foliis ſuccinguntur, ſuntque per interſepimenta membranacea quæ mediis lateribus adducunt, ac ſtylo ſeu columnæ intermediæ adſtricta ſunt, in quinque loculamenta in longum diſtincta.

Semina in singulis loculamentis duplici ferme ordine continentur stylo intermedio suis umbilicis adhærentia, forma rotundiola & nonnihil plana, ad unam partem ubi umbilicus est concavæ rotundis parallelis sulcis striata, primum alba, at matura & sicca colore fusco ac nigricante, odore muscato, qui cum tempore evanescit.

VIRES EJUS.

SErvit pro **Roothondt** si cum semine ejus trito & mixto cum stercore vaccæ perungatur corpus.

FIG. 38.

Eruditus Joannes Veslingius describit nobis in suis Observationibus & Notis ad Alpinum de plantis Ægypti, hunc fruticem *Cattu-Gasturi* sub nomine *Ab el mosch*, seu *Mosch Arabum*, vocatque etiam *Bammiam Muschatam*, ad differentiam *Bammiæ Alpini*, nisi fortè illa minùs clarè est descripta. *Alcea Ægyptia* Clusii in Histor. Plant. lib. 4. cap. 16. est quoque species harum plantarum. Si semen hujus esset odoriferum, quemadmodum est semen *Cattu-Gasturi*, & *Bammiæ Muschata* Veslingi, non posset dubitari quin esset una eademque planta. Verùm quoniam hoc reticetur, utique controversiâ non caret res ista, eoque magis quia *Cattu-Gasturi* in omnibus partibus major est: cujus quoque mentio est in D. Caroli Rochefortii Natur. Histor. Antilarum Americanarum cap. 12. ubi ejus brevis & clara descriptio exhibetur, sub nomine *Herba Muschata* (vulgò **Muskus-kruydt.**) Guilielmus Piso in Hist. Natur. Indiæ Occidentalis lib. 4. cap. 45. de *Quigómbo* seu *Alcea Muscata* describit nostrum *Cattu-Gasturi* pluribus circumstantiis sub dicto nomine. Vocatur verò vulgò semen hujus plantæ nomine seminis musci, ob suavitatem odoris musco valde similis, & propterea in suffitibus frequentis usus.



SCHO-

Schorigenám. lat.
ചൊറിങ്കണ. *mal.*
چيارڽکُنُم. *Arab.*
पीतकाउपकली *bram.*



SCHORIGENÀM.

FIG. 39.


Chorigenàm quatuor ſpecies ſunt, una ejus nominis, altera *Válli-Schorigenàm*, tertia *Bátti-Schorigenàm*, & quarta *Ana-Schorigenàm*. Fig.39.

Schorigenàm, lingua Bram. *Pitta-Gaſurculi*, eſt frutex ex genere urticarum altitudine trium pedum naſcens in arenoſis.

Radix parva eſt, tenuis, dura & albicans, perplures longas fibras capillatas tam ſubtus quam à latere diffundens.

Caudex tenuis, rotundus, piloſus ac adurens, cortice tenui viridique-claro.

Folia quæ hinc inde in caulibus proveniunt, ſunt cæterarum ſpecierum foliis minora, facie oblongo-rotunda, inferius rotunda curvitate ac anteriora verſus contractiora & cuſpide mucronata, ſerrata in margine excepto eo qui petiolo proximus eſt, aſpera in utraque parte, piloſa & adurentia, colore in adverſa parte viridi-albicante.

Cum coſta intermedia ex qua hinc inde coſtulæ obliquo & annulari ductu prodeunt una utrinque *Coſtula* oblique anteriora verſus è pediculo excurrit cum cæteris coſtulis in apices dentium deſinens, ſuntque coſtæ etiam in recta parte eminentes at magis in adverſa.

Flores qui in partibus tam ſuperioribus quam inferioribus fruticis hinc inde ſpicatim proveniunt petiolis parvis, tenerioribus, valde piloſis, ſunt congeries gemmularum parvarum quæ coloris ex viridi-diluto flaveſcentis ſunt.

Floribus deciduis prodeunt *Capitula* ſeminalia, trilatera ac valde piloſa ex tribus globulis piloſis junctis conſtantia ac ſex ſurrectis, oblongo-anguſtis viridibus foliis quæ denſis transverſis cuſpidibus minutis obſita ſunt, comprehenſa, ſuntque coloris primum viridis, dein ſubflavi ac nonnihil rubeſcentis.

In quolibet capituli globulo continetur *Semen* unum, rotundum ac nonnihil oblongum cum umbilico bifido ſeu in duo labra ſulcato, coloris primum valde candidi, dein cum maturum eſt nigricantis & in umbilico rubro-fuſci.

Semina hæc omnium ſpecierum ſeminibus majora.

VIRES EJUS.

RAdix prodeſt in febre ex pituita oborta in modum annuli impoſita pedum digitis, ſuccus ex ea expreſſus ac in lacte vaccæ cum ſaccharo epotus conducit in febre oſſium ac ſervit pro pruritu corporis. *Radix* in decocto data urinam ſuppreſſam movet. *Lignum* cum *Fructibus* contritum vulneri inflicto ex cauda ſpinoſa piſcis *Ráye* ad ejus ſanationem inditur.

FIG. 39.

Species *Schorigenam* omnes ſunt *Urticæ* ſpecies, earumque prima ſub eodem genere eſt cum *Urtica urente pillulas ferente*, *prima Dioſcoridis ſemine lini*, Caſparis Bauhini. Authores noſtri deſcribunt quatuor ſpecies, ſed tres tantùm figuras exhibent: quia ſecunda primæ admodum ſimilis eſt.




BAT-

Bàtti-ſchorigenàm. *lat.*

വട്ടചൊറിയണം. *mal.*

بَعطّعُ چُبارْيغحانامْ *Arab.*

काडन कलि *bram.*



BÁTTI-SCHORIGENÀM.

FIG. 40.



Átti-Schorigenàm, quæ tertia ſpecies eſt *Schorigenàm*, lingua Bram. *Dacutì-Gaſurcutì*, frutex quoque eſt ex genere urticarum altitudine trium quoque pedum. Fig.40.

Radix fibroſa, & albicans.

Caules ſtriati ac minus lignoſi, coloris rubro-obſcuri.

Folia quæ petiolis valde longis, craſſis, ſucculentis, planis ac interius ſtriatis proveniunt, poſtica parte latiora ſunt ac proxime ad cuſpidem brevi ſtriatura, anteriora verſus cuſpidata longiore cuſpide, ſunt quoque piloſa & adurentia, denticuliſque groſſis toto margine inciſa, habentque coſtulas in adverſa parte eminentes & cum media utrinque unam ex petiolo prodeuntem.


Flores qui in longis tenerioribus cauliculis ſeu petiolis qui ex origine foliorum exſurgunt, hinc inde in parvis capitulis quæ in pedunculis brevibus & ramoſis conſpiciuntur, proveniunt, ac in uno capitulo plures congregatim, ſuntque gemmulæ viridi-dilutæ ac parvæ foliis minutis albicantibus, minus conſpicuis conſtantes.

Floribus deciduis in capitulis ſuccedunt *Gemmulæ* virides ſeminales; ſunt autem *Semina* quæ in ſuis gemmis viridibus ſunt ac in iis ferme in totum cum matura ſunt emicant, albicantia parva ac magis minuta quam aliarum ſpecierum ſemina rotundiola & plana, coloris albicantis & ſubflavi.

Apud hoſce medicos non eſt in uſu.

FIG. 40.

Tertia ſpecies *Schorigenam* quodammodo ſimilis eſt *Pinó* Piſonis, ſpeciei *Urticæ*, quæ creſcit in Braſilia. Deſcriptionibus porro illis comparatis cum invicem, de convenientia nullum erit dubium.




ána-schorigenám. lat.
mal.
Arab.
bram.

ANA-SCHORIGENAM.

F I G. 41.



Na-Schorigenàm, quæ quarta ſpecies *Schorigenam*, ling. Bram. *Haſtỳ-Gaſurculì*, frutex quoque eſt ex genere urticarum cæteris major ad altitudinem unius hominis aſſurgens, Fig. 41.

Radix cum ſuis fibris minus dura ac tenerior & albicans.

Stipes craſſior & non adeo durus, ſuperiora verſus profunde ſtriatus, colore rubicundo-obſcuro præcipue in parte ima ad radicem hinc inde maculis albicantibus rarioribus interſperſus, verſus ſuperiora autem maculis albicantibus viridi-dilutis tanquam cutis ſerpentis dicti (*Cobra Capella*) variegatus.

Folia quæ petiolis longis, craſſis, piloſis, & ſucculentis qui in parte interiori planiores ac ſulco ſtriati & rubeſcentes in exteriore rotundi ac viridi-flaveſcentes proveniunt, grandiora cæteris, inferne lata ac rectiora ſeu minus rotunda ora excurrentia ac cuſpidibus groſſioribus in margine inciſa ſeu etiam in lacinias plures paucioreſve, habentque coſtulas viridi-albicantes cum media utrinque unam ex petiolo prodeuntem, quæ cum cæteris coſtis ex media tranſverſim excurrentibus in cuſpides intrant.

Flores ſunt gemmæ primum viridi-dilutæ, dein viridi-albicantes, parvæ, rotundæ in petiolis longioribus, qui hinc inde aculeati ſunt in denſis racemis provenientes, ac in quatuor folia ex viridi-albicantia, nitentia,

angusta, anterius in nodulos crispata ac convoluta sunt, divisæ.

Floribus deciduis *Semina* nullis inclusa capsulis proveniunt spicatim ad unam partem petiolis ejusque ramulis viridibus hinc inde adhærentia, suntque petioli cum ramulis in altera parte rigidis albicantibusque spiculis adeo dense obsiti ac tam arcte convoluti, ut semina occultent, nec visui offerant nisi ex convolutione in rectam explicentur.

Semina autem plana ac rotunda, subflava, seu subrusa, in medio magis crassiola quam ad oras.

Apud hosce medicos non est in usu.

FIG. 41.

Ana-Schorigenam quarta species Authorum nostrorum, est etiam exotica species *majoris Urticæ*, omniumque maximæ, neque extra ejus species collocari potest.



VAL-

VÁLLI-SCHORIGENÀM.

Alli - *Schorigenàm*, ling. Bram. etiam *Titta - Gasurculi* à prima non differt nisi quod hic sit convolvulus.

VIRES EJUS.

R*Adix* decocta in aqua & epota hepatis ardorem restinguit, atque eodem modo servit pro tumore ventris & membrorum urinamque suppressam comitante; eadem trita & mixta cum lacte ac cum saccharo data proficua est pro pruritu corporis seu membrorum; succus ex ea contrita expressus & epotus confert micturientibus urinam viscosam ac purulentam.



Schadidá-calli. *lat.*

ചതിരക്കള്ളി *mal.*


بجيا ضحيرا قحا آلي *Arab.*

पडावीमिचुलि *bram.*



SCHADIDÀ-CALLÌ.

FIG. 42.



CAllì tres ſpecies, *Schadidà-Callì*, *Elà-Callì*, *Tirù-Callì*, qui omnes frutices in totum lactei. Fig. 42.

Schadidà-Callì, ling. Bram. *Padà-Nivúli*, eſt frutex altitudine duorum hominum naſcens in arenoſis.

Radix craſſa ſe rectà in terram demittens ac fibras hinc inde emittens, intus lignoſa, cortice exterius fuſco, intus candido & lacteo.

Stipes qui ex radice unus ſimplex exoritur, diverſis nodis diſtinctus ac inter nodos in tres oras anguſtas eminentes, quæ planis lateribus terminantur, extenuatus & in oris angulis extuberat & inter angulos ſinuatus, & in angulis ſpinis rigidis, acutis & rectis, fuſcis & nitentibus, quæ binæ & binæ ac cuſpidibus à ſe mutuo averſis prodeunt, munitus, cortice craſſo exterius viridi-fuſco, etiam cum eſt vetuſtior, veſtitus intus ſub cortice pulpa humida & albicante, nullo ligno ex qua ut & è ſuo cortice inciſo lac copioſum exundat.

Folia in oris in extuberantibus angulis ſupra ex ſpinis ſurrecta prodeunt, & quidem rara in ſingulis angulis unum numero in uno parvo, craſſo, plano, viridi ac lacteo pediculo, ſuntque minuta, rotunda, craſſa, lactea nullis ſtriata venis, oris verſus ſpinas nonnihil inflexa.

Flores in oris prodeunt maxime ex ſinubus cavis inter angulos extuberantes ſeu ſpinarum ordines intermediis ex parte eorum profundiori terni ſimul uno pediculo parvo ferme ſemidigitali, rotundo, viridi, lacteo, craſſo, ex ſinubus recta exſurgente, qui duos minores pedunculos laterales transverſum verſus oppoſitas partes emittit, eſtque medius flos pedunculo communi inſidens, reliqui duo pedunculis lateralibus: conſtant autem flores foliis quinque curtis, craſſis, ſolidis, rigidis, planis in ſuperiori parte, medio corculo rotundo-plano, piloſo, exterius ex viridi ſubflavo circumpoſitis; ſuntque etiam lactei & viridi-diluti ſeu ex viridi ſubflavi coloris, odoris nullius, habentque in medio ſtamina quatuor, quinque, ſexve ſurrecta, bifurcata, ſuperne rubra, quæ ex corculo inordinate prodeunt, ſuntque etiam lactei.

Gemmæ florum virides & flaveſcentes.

Floribus prodeuntibus folia decidunt.

Fructus qui ex florum corculo medio pedunculo ſurrecto, craſſiolo, ſemidigitali, rotundo & viridi prodeunt ſunt plani ac tribus

 emi-

eminentibus, rotundiolis angulis conſtantes, lactei ac colore viridi, dein ex parte parum rubeſcentes, ſaporis quoque adſtringentis, continentque in unoquoque angulo tanquam propria capſula unum *Semen*, quod rotundum eſt & cinereum, intus albicans.

Hic frutex qui totus lacteus eſt ex lacte linguam adurens, fertque flores ſemel in anno vel tempore pluvioſo vel maxime Januario & Februario.

VIRES EJUS.

EX *Radice* addito pauxillo aſſæ fœtidæ vulgo *Hinc* emplaſtrum præparatur quod ventri puerorum pro lumbricis commode ſuperimponitur. *Cortex Radicis* contritus & ſumptus cum aqua purgativus eſt. *Lignum* ejus contritum & decoctum cum aqua juvat in doloribus Podagræ, ſi ejus fumus ſeu vapor excipiatur in parte affecta.

FIG. 42.

Quàm incertè cum veteres tum recentiores Botanici veram formam plantæ *Euphorbium* producentis deſcripſerint, ſatis apparet, ut in Dioſcoride lib. 3. cap. 96. Plinio lib. 25. cap. 7. Certum eſt *Gummi* ipſis optimè fuiſſe cognitum, ut & locum, in quo provenit, nimirum Africam, ex quâ hodieque per Zalée advehitur in Barbariam, idque ex locis à mari remotiſſimis. Quibuſdam annis tanta ejus provenit copia, ut vix ſumptus rependantur, cum hîc centenæ libræ quaternis quinifve florenis fuerint venditæ. Quod verò attinet ad deſcriptionem veramque formam plantæ, Authoribus noſtris ea laus debetur, ceu qui primi eam Botanicos noſtros docuerunt. Figura à Dodoneo lib. 11. cap. 21. exhibita, non eſt verum *Euphorbium*, ſed alia planta: cumque illo complures etiam erraverunt, ſiquidem vera delineatio & deſcriptio à nemine antehac fuit expoſita. Hoc verò eſſe verum *Euphorbium* exinde ſcio, quòd mihi fruſtum hujus plantæ cum *Gummi* ex Barbaria fuerit allatum, & deinde invenerim complures capſulas ſeminales, flores & fruſta plantæ in ſaccis coriaceis inter *Euphorbium*, quæ omnia cum *Schadida-Calli* conveniunt. *Cereus Peruanus ſpinoſus fructu rubro nucis magnitudine* Bauhini in Pinace, non eſt *Euphorbium*, neque cum illo ab Authoribus noſtris deſcripto ulla ratione convenit. Neque *Jamacaru quinta* Piſonis pro *Euphorbio* haberi poteſt, quàmvis ille de eâ re incertus dubitaverit. Ne itaque plures autores allegem, qui ſaltem audita retulerunt, concludo hactenus nemini præter Authores noſtros eam laudem deberi, qui nunc diuturna & inveteratâ caligine pulſa claram veramque cognitionem hujus plantæ nobiſcum communicârunt. Videtur autem Malabaribus modus colligendi *Gummi* eſſe incognitus, & lacteus ſuccus Medicis tantùm eſſe in uſu.



ELA-


F. 43.
Elà-callì. lat.
mal.
Arab.
bram.

VIRES EJUS.


R*Adicis cortex* tritus & epotus in aqua in qua oriza cocta & lota est, servit pro hydrope, estque medicamen valde lene; ejus lac cum butyro in quo decoctum est datum blande & leniter purgat ventrem. *Folia* ad ignem calefacta urinam provocant; eorundem decocti fumus seu vapor exceptus doloribus corporis seu membrorum mitigandis ac pellendis confert. *Succus* ex *Foliis* calefactis seu parum tostis expressus & auribus inditus eorum dolores sedat, idemque oculis instillatus oculorum nubeculæ tollendæ confert, quin & in lotione corporis prodest pro pudendis tumefactis.

FIG. 43.

Authores nostri hîc describunt speciem secundam *Ela-Calli*, (ceu alterum *Euphorbium*,) in floribus, seminibus & viribus non differentem à priore, & propterea jure merito cum *Schadida-Calli* sub eodem genere habetur. Et quamquam semper antehac tantùm una species *Euphorbii* nota fuit, tamen quidam voluerunt succum seu *gummi*, *Euphorbium* dictum, ex arbore provenire, eo ipso demonstrantes, sibi plantam ignotam fuisse: quemadmodum Dioscorides lib. 3. cap. 96. scribit, illud provenire ex Specie *Ferulæ*, &c. Quod ergò ad hanc plantam *Ela-Calli* attinet, utique nullum est dubium, quin idem *Gummi* cum priore producat, & propterea habendum pro secundo *Euphorbio* hactenus ignoto.



TIRU-


Tirú-calli. lat.
mal.
Arab.
bram.

TIRÙ-CALLÌ.

FIG. 44.



Irù-Callì, quæ tertia ſpecies *Callì*, lingua Bramanum *Portigálli-Nivúli* frutex quoque eſt naſcens in arenoſis. Fig.44.

Radix tenuior fibras à latera emittens.

Stipes qui ex radice quoque unus aſſurgit rotundus, craſſitie ferme unius brachii, minus lignoſus, totus lacteus, cortice viridi ſubſpiſſo lacteo, emittens cauliculos tenues virides & lacteos ex nodulis, qui longiuſcule ab invicem diſſiti ſunt ex uno nodulo ſex, ſeptemve, alios tranſverſum, alios ſurſum, alios deorſum, qui in ſummitate quoque cauliculos minores ex eodem nodulo in tranſverſum diffundunt, ac hi in alios tenuiores ramulos dividuntur; ſtipes ut & rami teneriores viridi-fuſci, vetuſtiores viridi-clari.

Folia hinc inde rariſſime conſita in cauliculis præcipue tenerioribus unum tantum ac paſſim in ſummitate eorum tria, quatuorve ad ſe invicem cauliculis inſident, ſuntque parviuſcula & oblongo-anguſta, longitudinis unius ferme pollicis, plana, craſſiola, in interiori parte in medio ſulco ſtriata, lactea, colore viridi, in adverſa parte viridi magis claro.

Hic frutex qui totus lacteus etiam ex lacte linguam adurens.

Flores in vertice ſurculorum proveniunt in ramulis craſſis, curtis, viridi-fuſcis qui plures congregatim in vertice emicant, inſidentes, ſuntque parvi quatuor vel quinque folio-

lis rotundiolis magis arcte tanquam in unum nodum unitis superius planis intusque lacteis ac viridibus constantes.

Fructus qui floribus deciduis ex ramulis prodeunt sunt oblongo-rotundi similes fructibus *Ana-Párua*, forma & colore includentes intus tria semina similia seminibus Nasturtii nostri.

VIRES EJUS.

RAdix in decocto data servit pro doloribus ventris; lac ejus cum butyro decoctum purgativum est, viribus quoque cum *Schadidà-callì* est iisdem.

FIG. 44.

Licèt Authores nostri plantam hanc ad *Euphorbium*, seu species *Calli* referant, tamen ad eas neutiquam pertinet, quia species est *Tithymali myrtifolio arboreo*, Bauhini in Pinace. Videtur autem succus lacteus acrisque saporis errandi ansam præbuisse.



Bahél-Schulli. *lat.*

വയൽ ച്ചുള്ളി *Mal.*

وَابِهَلْ جِيُولِّي *Arab.*

केळसो *bram.*



BAHÈL-SCHULLI.

FIG. 45.



S*Chulli* quatuor ſpecies ſunt: *Bahèl-Schulli*, *Nir-Schulli*, *Cára-Schulli*, *Painà-Schulli*. Fig 45.

Bahèl-Schulli ling. Bram. *Colaſſò*, eſt frutex ſpinoſus naſcens in aquoſis.

Radix fibroſa, capillata ac albicans.

Caules geniculati ſuperne plani, & utrinque ſulco ſtriati, virides ac etiam rubeſcentes, pilis longis & albicantibus densè obducti, intus lignoſi cum corculo aqueo & viridi ſeu etiam albicante ex geniculis cauliculos paſſim binos, quorum ſuperiores in ordine proxime inferiores decuſſant, emittentes, ac in geniculis ſpinis ſeu transverſis in duabus oppoſitis partibus tribus quæ longiſſimæ, lignoſæ, duræ ac aculeatæ, ac leniter verſus inferiora inflexæ, aculeiſque à ſe mutuo averſæ ſunt, muniti.

Folia quæ in nodis plura ſimul ad ſpinas cauliculis circumpoſita ſunt oblonga & valde anguſta, piliſque longis albicantibus in utraque parte obducta, parum aſpera, in margine criſpaturis contracta, teneriora ex viridi rubeſcentia. *Coſta* media viridi-dilutior in adverſa eminens ac craſſiuſcula eſt, in recta parte folium ſtrians venaſque nonnullas ſubtiles quarum tractus in adverſa ſolum conſpicui emittens.

Flores qui ex geniculis ſurculorum ſupra ſpinarum exortum octo plus minus congregatim prodeunt foliis duobus cœruleis ſubpurpureis ad ſe invicem nonnihil clauſis conſtant, colloque brevi albicante quo ex calyce erumpunt; eſt autem unum folium quod à caule averſum eſt, latius in ſuperiori ora in tres lingulas ſeu foliola quæ verſus exteriora reflexa ſunt, rectis inciſuris profundius diſciſſum, eſtque colore cœruleo-purpuraſcente maxime in lingulis, ad eam partem qua hoc folium latius eſt collum florum nonnihil planum, albicans ſeu etiam flaveſcens ac tenuitate transparente eſt, exterius coſtulis tribus ferme parallelis intertextæ ſunt, ſtriatum.

Harum *Coſta* media tres *Ramulos* ſeu *Coſtulas* eminentes, breves ex parte ſuperiore ad mediam lingulam ſeu foliolum emittit, ac in earum tractu folium interius duabus eminentibus ſuturis flavis, piloſis cum rubra linea in medio in longum variegatum eſt; alterum folium quod cœrulei quoque ſubpurpurei coloris ſurrectum & anguſtum, interius cochleato-cavum eſt in duas lingulas ſeu foliola quæ verſus exteriora reflexa ſunt, recta inciſura diſciſſum, ad hu-

jus folii partem collum florum rotundum, albicans, translucens ac nitens atque etiam flavescens, ac in medio costa crassiola quæ ad incisuram excurrit & à latere utrinque unam minorem costulam spargit, exterius striatum.

Stamina in floribus quatuor albicantia, crassa, angusto folio accumbentia, quorum bina & bina arcuatim cum apicibus suis longis, surrectis & cœruleis à se mutuo inflexa sunt, ac cum iis se prodit filamentum longiusculum, albicans, exortum ex oblongo viridi-diluto globulo qui ad inferiorem colli partem in calyce situs est, ac semina continet.

Calyx florum foliis constat oblongis, cuspidatis, valde pilosis, viridibus ac etiam rubescentibus, sunt autem flores odore nullo.

Semina in capsulis oblongis, lignosis, nonnihil cuspidatis, quæ in duo latera per strias intermedias interstincta sunt, & primum viridis, dein ex siccitate rufescentes, ac foliis calycis quæ etiam rufescunt ferme obtextæ, consita sunt, in singulis lateribus tanquam in propriis loculis ad tria quatuorve, suntque forma rotundiola, seu etiam oblonga, plana, coloris cum sicca sunt, fusci seu spadicei.

Est & alia species *Bahèl-Schulli* nascens in arenosis, quæ cauliculos & folia habet viridi-clara & non rubescentia, flores verò albos ad cœruleum nonnihil vergentes.

VIRES PRIORIS.

R*Adix* in decocto data urinam provocat, ac suppressam ciet. Ejus decoctum ventrem hydrope tumefactum extenuat ac membra quæ aqua tumefacta sunt resolvit. Eadem decocta cum oleo plantæ dictæ *Ficus inferni* ac epota prodest in hydrope calculosque in vesica infringit. Eadem trita & mixta cum aqua corpori humoribus affecto confert facta perunctione. *Folia* decocta & condita cum aceto intus sumpta urinam quoque cient. Ex ejus *Foliis* fit pulvis qui cum oleo expresso ex floribus *Fici de inferno* epotus tumori pudendorum virilium solvendo conducit.

FIG. 45.

Quatuor species *Schulli* ab autoribus nostris descriptæ non multum cum invicem conveniunt, præterquam quod flores formâ similes sint, referentes speciem florum *Genistæ*. Hic *Babel-Schulli* est species *Genistæ Spinosæ majoris longioribus aculeis* C. Bauhini in Pinace, & *Scorpii primi* Clusii, quoniam caules multis aculeis obsiti sunt, & florum forma convenit.

CA-


Nir-Schulli. lat.
mal.
Arab.
कोळसो bram.

NIR-SCHULLI.

FIG. 46.



Ir-*Schulli*, quæ ſecunda ſpecies *Schulli* eſt, ling. Bram. *Búla-Vangà*, frutex quoque ſpinoſus eſt naſcens in udis. Fig.46.

Radix eſt fibroſa capilliſque denſis veſtita cortice albicante, intus lignoſa.

Caules virides, geniculati juxta geniculos ad exortum articulorum extuberantes, lignoſi & corculo aqueo ac viridi ſeu albicante ex geniculis hinc inde quoque emittentes cauliculos paſſim binos quorum ſuperiores in ordine inferiores decuſſant, ſuntque ſuperne quadrati, & in lateribus ſulco ſtriati.

Folia quæ ex geniculis paſſim bina & bina petiolis languidis, interius planis, viridi-albicantibus proveniunt, ſunt forma oblongo-rotunda, anterius rotundis oris in cuſpidem contracta, ad petiolum ſtricta, tactu mollia, lenia, plana, glabra, colore in adverſa viridi-clariori, in recta nonnihil fuſco; in margine limbulo rubro, acuto & hærente circumdata.

Ex *Coſta* grandiuſcula in adverſa parte eminente *Nervuli* obliquo annulari & ſatis parallelo ductu exeunt parum eminentes, & in recta tenuiter extuberantes, qui proxime verſus marginem delati ac nonnihil reflexi verſus anteriora diſparent venulas tranſverſas rariores ex ſe edentes.

Flores qui ad nodulos ſupra exortum foliorum tum in una tum in duabus oppoſitis caulium partibus plures ut quatuor, quinque &c. ſimul prodeunt, ſunt quoque conformati ex duobus foliis ac forma iidem, & odoris etiam nullius, at minores & collo anguſtiori ac colore purpureo-cœruleo valde diluto & maxima parte albicante & nitente; foliis quoque minus profundè in oris ſeu labris inciſis, quod latius eſt interiori parte punctis rubicundis ſeu nigricantibus, quæ pilos emittunt, notatum.

Stamina quoque cum ſuis apicibus in medio quatuor bina & bina ad ſe invicem arcuatim inflexa, & inter hæc tenue & albi-

albicans filamentum ex oblongo globulo ſeu capitulo viridi quod in calyce eſt ac capſularum ſeminalium rudimentum egrediens.

Calyx autem parvorum cuſpidatorum foliorum, quæ ſuperficie glabra ſunt.

Capſulæ ſeminales, ſurrectæ, oblongæ, longiores quam illæ *Babèl-Schulli*; rotundæ, lignoſæ, duræ, ſuperne aculeatæ ac pungentes inſtar ſpinarum in longum ſex ſtriis ſulcatæ plures ſimul paſſim conſpicuæ calycis foliis rigidis maxima parte arcte contentæ, primum virides, dein ruſeſcentes, atque in duas cellulas ſeu loculamenta, in quibus ſemina conſita ſunt mediante interſtitio lignoſo in longum diviſæ; ſunt autem *Semina* in unoquoque loculamento paſſim ſex numero, forma rotunda, plana, colore rubro-fuſco.

Nir-Schulli Malabaribus ſic dicta quod naſcatur in aquis, nam *Nir* eis eſt aqua.

VIRES EJUS.

FOlia tumores corporis ac pudendorum virilium pellunt facta in pulverem, qui mixtus cum oleo *Fici inferni* ſumitur.

FIG. 46.

Nir-Schulli cum aliis minimam habet ſimilitudinem, videturque potiùs eſſe ſpecies *Teucrii*, quàm *Geniſtæ*. Verum in capſulis ſeminalibus quædam eſt differentia, & in eo quòd aculeis deſtituitur. Cum verò capſulæ ſeminales dictæ ab autoribus noſtris aculeis obſitæ dicantur, videtur potius eſſe planta aquatica peculiaris generis, quàm ſpecies aliorum *Schulli*.



CA-

Cára-ſchúlli. *lat.*

കാരച്ചുള്ളി *mal.*

قحقرا جيوللحب *Arab.*

काकिगोक्षुर *bram.*



CÁRA-SCHÚLLI.

FIG. 47.


Ara-Schulli quæ tertia ſpecies *Schulli* eſt, lingua Bramanum: *Rána-Gondù*, eſt frutex ſpinoſus naſcens in arenoſis. Fig. 47.

Radix fibroſa eſt & capillata ac albicans, dein rufeſcens.

Caules lignoſi, nodoſi, piloſi, virides, in medio corculo albicante fungoſo, in nodis ſpinis lignoſis, longiuſculis, tenuibus & aculeatis ac nonnihil inferiora verſus inflexis, quæ binæ & binæ prodeunt, ac quarum ſuperiores in ordine ad alias partes converſæ ſunt quam inferiores, muniti.

Folia quæ in nodis infra ad exortum ſpinarum proveniunt, parva, craſſiola, rotunda, parum oblonga, piloſa lanugine maxime in adverſa parte obducta, ſapore ſubamaro & ſubacri, odore hortenſi; qui ex coſta in adverſa parte eminente nervi exeunt obliquo annulari ac ferme parallelo ductu feruntur, in adverſa ſolum eminentes, tractuum veſtigia in recta relinquentes ac nullas venulas conſpectui obvias ex ſe exhibentes.

Flores qui ſupra ex origine foliorum è medio duarum ſpinarum petiolis breviſſimis proveniunt, ſunt quinque foliorum colore planè cœruleo, non vero purpureo, pede longiuſculo candido & nitente calyci inſidentes, odore quoque nullo; ſunt autem folia oblongo-rotunda, tenuia, venulis ſuis obliquè in longum ſtriata, in recta parte colore cœruleo pleniori, in adverſa dilutiori ſeu albicante: in medio florum emicant duo ſtamina candida cum apicibus oblongis, ſurrectis, fuſco-cœruleis, quæ pedi interius ad medium inſerta ſunt, ac cum iis filamentum tenue & albicans è globulo viridi qui capſulæ ſeminalis rudimentum eſt, emergens.

Calyx florum conſtat quatuor foliis, duobus grandiuſculis, oblongo-rotundis, piloſis, viridi-dilutis ac exterius ex origine coſtulis quæ in oris apicibus raris, minutis eminent, ac à coſta media reflexæ ſunt, ſtriatis, & duobus foliis minutis, pilo-

pilosis, cuspidatis, quæ ad latera exsurgunt pedem florum complectentibus.

Gemmæ florum colore primum candidæ in totum & exterius lanuginosæ, dein cœrulescentes.

Capsulæ seminales oblongæ, quadrilateræ & in planum compressæ, in lateribus planis seu latioribus viridi-diluti, in angustioribus viridi-fusci coloris, cortice lignoso ac duro, in duas camerulas oblongas in quibus tanquam loculis semina continentur interstitio uno intermedio lignoso ex medio angustorum laterum producto distinctæ.

Semina quæ in suis quoque camerulis passim duo consita, sunt plana, rotundiola primùm albicantia seu argentea & lanuginosa, postmodum cortice lanuginoso-rufescente, sapore subamaro.

VIRES EJUS.

TUmoribus resolvendis, si in pulverem per ignem redacta ac aceto permixta adhibeatur, in perunctionem corporis. In pulverem trita ac mixta cum potu expresso ex *Ténga* seu palmite Indico & dicto *Surie* apostematibus maturandis ac aperiendis servit. *Radix* in decocto data urinam suppressam movet. Ejus decoctum addito momento orizæ proficue datur pro tumore ventris. *Foliorum* quoque decoctum cum momento orizæ intus sumptum membris tumefactis extenuandis commodum.

FIG. 47.

Hæc porrò planta admodum differt à præcedentibus, cumque illis nullâ ratione communicat, ita ut non perspiciam rationem, ob quam ab autoribus nostris prioribus adjungatur: cum nec formâ, nec viribus conveniant. Verùm unaquæque harum plantarum pro peculiari specie habendæ sunt, quia folia & aculei illis *Capparis* haud sint absimiles.



PAI-

Painá-schúlli. *lat.*

പയിങ്ങാച്ചുള്ളി *mal.*

پَيِنْغَاچُلِّيْ *Arab.*

मावादि *bram.*



PAINÀ-SCHULLÌ.

FIG. 48.



Painà-Schulli quæ quarta *Schulli* ſpecies eſt, eſt Fig. 48.
frutex ſpinoſus naſcens in aquoſis.

Radix fibroſa & capillata, albicans cortice craſſiolo, molli, albicante.

Caules rotundi, virides, nodulati, ſpinis quatuor tranſverſis, duris, aculeatis, ac ſibi invicem ferme oppoſitis in nodulis circumdati.

Folia quæ ex ſpinarum origine petiolis brevibus & craſſis bina & bina lateraliter exeunt, condenſa, rigida & nitentia, coloris viridi-fuſci, ſeu etiam flavo-viridis, utrinque in oris tribus cuſpidibus aculeatis ſeu ſpinoſis eminentibus, qui alternatim verſus rectam & adverſam partem contracti ſunt cum uno in vertice munita.

Ex *coſta* media in adverſa parte eminente *Nervi* ſeu *Coſtulæ* in adverſa ſolum parte eminentes exeunt in cuſpides verſus eam partem contractos intrantes ac cum iis venulæ ſubtiles in recta parte, quæ in cuſpides eo verſus contractos excurrunt.

Flores qui in ſummitate caulium bini & bini proveniunt, conſtant unifolio grandiuſculo, latiori & oblongo, quod verſus exteriora cum ſuperiori parte ſuiſque oris nonnihil reflexum eſt, ac rigidum & craſſiuſculum pilis interius albicantibus obductum unguiculo uno rotundo calyci inſidens, colore cœruleo ſubpurpureo, in medio in longitudine ubi extuberant ac craſſiores ſunt & glabri ſine ſpinis cœruleo-purpureo magis ſaturo, in parte autem adverſa cœruleo-dilutiore & albicantes ac nitentes, odore nullo.

In *Calyce* ex unguiculo folii exſurgunt *Stamina* quatuor longiuſcula, craſſa & albicantia, quæ ſuperne barbata denſis, albicantibus ſeu etiam flaviuſculis ſpinis, ac bina & bina in ſe invicem decumbentia, inter quæ emicat filamentum tenue albicans in ſummitate bifurcatum exortum è globulo ſeu capitulo oblongo in calyce ſito, quod rudimentum eſt fructus.

Calyx florum eſt foliorum rotundorum & ſibi mutuo circumvolutorum.

Floribus deciduis ſuccedunt *Capſulæ* ſeminales grandes, oblongo-rotundæ, inferiori parte paulo craſſiores & nonnihil planæ in duabus oppoſitis partibus ubi rotundiori ſuperficie ſunt in longum una ſtria ad verticem perducti, atque in vertice uno ſpiculo nigricante eminentes, conſtantque cortice primum viridi & duriolo, glabro & nitente qui dein flaveſcit ac rubeſcit, poſt nigricat, ſuntque in profundiolo, viridi-diluto calyce, qui rotundiolorum, cuſpidatorum ac inæqualium foliorum eſt, conſiti, ac forma externa & magnitudine fructus *Arequæ* referentes.

Semina conſita ſunt in duobus loculamentis in quæ fructus per interſepimentum quod ex medio planiorum ſuperficierum prodit & ſtylo medio adſtrictum eſt diſtincti, ſuntque in ſingulis loculamentis duo paſſim ſemina, quæ cum umbilicis ſuis ex inferiori parte fructus ac per mediam ſuperficiem ſtyli lignoſi, ubi fiſſura hiat ac in duas columnas ſe dividit, in longum decurrunt: ſunt autem ſemina oblongo-rotundiola, parte qua ad corticem fructus adjacent convexa, cum immatura ſunt candida ac nivea, & cortice craſſiolo candido & velut fungoſo, intus nucleo albicante ſubviridi, ſaporis ſubamari.

VIRES EJUS.

PRo ictu virulento colubri ſi integra contrita ac mixta cum aqua ad lotionem partis ictæ adhibeatur.

FIG. 48.

Paina-Schulli non multùm formâ ſeorſim abit à *Ruſco Silveſtri*, quantum ad folia: eſtque etiam ſpecies exotica à nemine præterquam autoribus noſtris deſcripta: ut & tres præcedentes; adeò ut de omnibus his parum dici queat.



CA-



Carámbu. *lat.*


കരെയംപൂവ *Mal.*

قَارِهْيَامْبُجُوْ *Arab.*

वुलवंग *bram.*

CARÁMBU.

FIG. 49.



Arámbu tres species, *Carámbu*, *Cattu-Carámbu*, *Nir-Carámbu*. Fig. 49

Carámbu ling. Bram. *Búla-Vánga*, est suffrutex altitudine sesqui-pedis seu duorum nascens in arenosis ac udis.

Radix fibrosa & valde capillata exterius albo, fungoso, molli, crassiolo ac humido cortice obducta uti & fibræ, intus lignosa & humida colore viridi-claro.

Caules qui ex radice prodeunt parum angulati, virides seu etiam rufescentes, glabri, intus humidi.

Surculi seu cauliculi molles & teneri valde viridi-diluti ac distinctius angulati.

Folia in caulibus ac caulium surculis proveniunt nullis seu brevissimis petiolis adhærentia: suntque parva, facie angusto-oblonga, anterius in cuspidem desinentia, ad petiolum quoque contracta, contextura tenuia, valde mollia, superficie lenia, viroris in recta communis, in adversa viridi-albicantis.

Ex costa media albicante quæ & in recta parte nonnihil eminet, maxime autem in adversa ac nonnihil plana, quamplurimæ tenues *Costulæ* hinc inde obliquo & annulari ductu anteriora versus exeunt, quæ proxime ad marginem arcuatim concurrunt folium in recta parte nonnihil striantes.

Flores fructibus insident, suntque valde parvi, colore in totum flavi seu lutei, foliorum quatuor, quæ oblongo-rotunda sunt, unguiculis ab invicem distantia, tenuissima, ac in medio in longum nonnihil striata.

Stamina in floribus surrecta, brevia, albicantia ac flaviuscula, quæ cum nodulis subflavis in vertice emicant; inter ea stylus crassiolus viridi-dilutus capitulo crassiori ac viridi-albicante dotatus.

Calyx florum constat foliis viridibus, oblongis, acuminatis ac in stellæ formam expansis quatuor vel quinque pro numero foliorum florum, constituitque umbilicum fructus.

Sunt autem *Fructus* quibus flores insident oblongi, digitum transversum aut sesqui æquantes, quatuor laterum, rarius quinque angulis ob rotunditatem minus distinctis ad umbilicum capitulo extuberantes forma haud dissimiles caryophyllis cum cuspide eodem modo ut caryophylli caulibus supra originem foliorum insidentes, colore primum viridi ac nitentes, postea rubro-fusco.

Semina quæ in iis continentur parvo-rotunda, primum ex viridi-flava, dein colore ſanguineo-rubro, poſt rubro-nigricantia ſeu etiam nigra.

Flores hic frutex fert tempore pluvioſo.

VIRES EJUS.

PLanta trita & in lacte acido epota ſiſtit fluxum dyſentericum. Eadem trita ac capiti admota ejus dolorem ſedat. Ejus decoctum epotum flatibus diſſipandis, urinæ ciendæ, ventri purgando, ac lumbricis enecandis ſervit. Succus ejus cum lacte dulci ſumptus proficuus eſt pro renum calore ſeu ardore. *Semina* in pulvere cum melle data tuſſi proſunt.


FIG. 49.

Carambu conſiſtit juxta deſcriptionem autorum noſtrorum, in tribus diſtinctis ſpeciebus, quæ parum cum invicem conveniunt, niſi quod fructus ejuſdem figuræ, ſed magnitudinis diverſæ ſint. Malabaribus *Carambu* idem eſt quod *Caryophyllus*: vocaturque hæc ſpecies *Carambu Maram*, id eſt *Caryophyllus Arbor*, (quoniam *Maram* arborem denotat,) idque ob ſummam ſimilitudinem quæ ipſi intercedit cum genuina *arbore Caryophyllo*, quod ad fructus attinet. In omnibus autem partibus caret odore aromatico, propterea que merito vocatur *Caryophyllus ſpurius Malabarienſis flore luteo minore.*



CAT-

Jussiaea suffruticos



Cáttu-Carámbu. *lat.*


കാട്ടുകരയാംബു *mal.*

Arab.

कायाकुला *bram.*

CÁTTU-CARÁMBU.

FIG. 50.



Attu-Carámbu quæ ſecunda ſpecies *Carámbu*, ling. Bram. *Cára-Púlli* cum priori ſpecie in pluribus convenit, verum hujus radix & ſtipites craſſiores. Fig. 50.

Folia ferme eadem niſi quod oblongiora & anguſtiora.

Flores qui quoque ſuis petiolis caulibus ſupra originem foliorum inſident, iidem quatuor foliis rotundo-oblongis conſtantes cum ſuis ſtaminibus & ſtylo in medio, coloris quoque flavi ſeu lutei, verum majores ſunt.

Fructus quibus flores inſident, utpote in quos pes florum excreſcit, ſunt adinſtar caryophyllorum majoris notæ quam illa primæ ſpeciei quadruplo ferme longiores ac craſſiores, forma & colore iis ſimiles.

Semina quæ in iis ſunt pro magnitudine fructuum multo numeroſiora, ſuntque etiam rotundiola & primum albicantis, dein rufi coloris.

Flores fert tempore pluvioſo.

Apud hoſce medicos non eſt in uſu.

FIG. 50.

Hæ duæ ſpecies jure vocari poſſunt *Caryophyllus ſpurius Malabarienſis flore luteo.*




T. 51.
Nir-Carambu. lat.
mal.
Arab.
कुमुदि bram.

NIR-CARÁMBU.

FIG. 51.


Ir-Carámbu quæ tertia ſpecies *Carámbu*, ling. Bramanum *Comodÿ*, eſt plantula naſcens in aquis ac in ripis aquarum cum caulibus ſuper fundum repens. Fig. 51.

Radices quæ ex caulibus hinc inde ad exortum minorum cauliculorum exeunt, fibroſæ, albicantes ac rubeſcentes, aqueæ & fiſtuloſæ.

Caules craſſi, fungoſi, fiſtuloſi, rotundi, læves & nitentes, viridi-albicantes, ac in parte qua ſoli expoſiti rubeſcentes.

Folia quæ in caulibus hinc inde brevibus ſeu longioribus, planis ac viridi-albicantibus ſeu rubeſcentibus petiolis proveniunt ac frequenter cum germine novorum, tenerorum cauliculorum foliaceorum comitata ſunt forma oblongo-rotunda anterius rotunda ora, ad petiolum ſtricta, contextura mollia, viroris utrinque fuſci & nitentis.

Ex coſta media quæ in adverſa eminet *Venulæ* parum in ea parte eminentes obliquo & parallelo ductu excurrunt, & proxime ad marginem in ſe invicem deferuntur in recta tractu ſuo tantum conſpicuæ.

Flores ſupra ex origine foliorum hinc inde in cauliculis proveniunt in petiolis ſeſqui ferme uncialibus viridi-dilutis ad unam partem rubeſcentibus fructibus inſidentes, majores cæteris, ſuntque quinque foliorum oblongo-rotundorum tenuium quæ colore albicante ac ad unguiculos croceo, & venulis ex intermedia oblique anteriora verſus ſtriata.

In medio ex orificio florum ſeu umbilico fructus *Stamina* ſurrecta, viridi-diluta decem cum apicibus emicant ſubflavis, ac cum iis ſtylus medius viridi-dilutus & albicans, craſſiolus, qui nodulo plano ſubflavi coloris ac quinque ſtriis radiato in ſummitate dotatus eſt.

Calyx quinque foliorum oblongo-cuſpidatorum, tenuiorum & viridium, ac ſtelliformiter inter folia expanſorum; ad calycem petiolus extuberat in fructum qui prima facie eſt velut caryophylla.

Fructus in quibus flores proveniunt non inſident caulibus, ut illi *Carámbu*, vel *Cattu-Carámbu*, ſed pedunculis tenuibus adhærent,

ſuntque oblongiores quam illi *Carámbu*, minores verò iis *Cattu-Carámbu*, craſſitie majori, intus duri ac filamentis lignoſis pertexti, inter quæ ſemina ſeriatim in longitudine conſita ſunt.

Semina autem nonnihil oblonga & albicantia ac majuſcula.

Apud hoſce medicos non eſt in uſu.

FIG. 51.

Hæc planta aquatica *Carambu* ſpeciebus adjungitur, duntaxat ob fructuum figuram prioribus quadantenus ſimilem. Quia verò cùm hæc tùm aliæ ſpecies plantæ exoticæ, nobiſque incognitæ ſunt, vix ampliùs quicquam de iis dici poteſt.



PON-


T. 52.
Ponnám-tagera,
seu,
Pónna-virem. lat.
mal.
Arab.
अयकुलि bram.

PONNÀM-TÁGERA

seu

PÓNNA-VÍREM.

FIG. 52.



Ágera duæ ſpecies, *Ponnàm-Tágera* ſeu *Pónna-Virem*, & *Tágera*. Fig. 52.

Ponnàm-Tágera ſeu *Pónna-Virem* ling. Bramanum *Arpulì*, eſt ſuffrutex altitudine unius hominis.

Radix demiſſe in terram ſubſidens fibris hinc inde affirmata, cortice ſubnigricante cruſta ſubflavo.

Stipites Surculique cinereo-fuſci.

Folia quæ in ſurculis brevibus pediculis bina & bina alatim proveniunt, ex utraque parte in eodem ordine conſita, oblongo-anguſta, ad petiolum lata curvitate, ac ſenſim anterius in cuſpidem contracta, tenuia, mollia, lenia; ex coſta intermedia quæ in adverſa parte alte eminent *Nervis* ſubtilibus & leniter eminentibus ſtriata, virore in recta fuſco, in adverſa claro ſeu diluto.

Flores qui in cauliculis ſeu petiolis craſſiolis ac ſtriatis congregatim proveniunt, foliis conſtant quinque in totum aureo-flavis, ſuntque illa oblongo-rotunda & anteriora verſus maxima latitudine unguiculis à ſe mutuo parum diſſitis, ſtriata venulis tribus quatuorve, quæ in adverſa parte eminent ac tenuiter corrugata.

Stamina in medio viridi-diluta novem apicibus longis, ſurrectis & flavis dotata cum ſiliquoſo germine in medio, ſuntque flores odoris nullius.

Calyx viridis quinque oblongo-rotundorum foliorum.

Floribus deciduis ſuccedunt *Siliquæ* oblongæ quinque, ſexve ferme pollices, primum planæ ac compreſſæ, dein lato-rotundæ, duabus ſuturis adverſis ſtriatæ, colore primùm virides, poſt flaveſcentes, dein ſiccæ cinereæ.

Semina quæ in iis numeroſè conſita & membranaceis, tranſ-

versis, tenuibus intersepimentis à se mutuo distincta ac sub cortice extuberant, parum plana sunt, rotundiola, ad unam partem cuspidata, coloris albo-fusci & nonnihil nitentes.

VIRES EJUS.

EJus decoctum proficue datur pro febri symptomatica nata ex podagra. *Folia* cum saccharo data & epota conferunt pro Ictero.

FIG. 52. & 53.

Tágera complectitur quinque species, quæ omnes in regno Malabarico crescunt, nimirum:

1. *Ponna-Viva*, seu *Welli-Tagera.*
2. *Ponnam-Tagera.*
3. *Catoe-Tagera.*
4. *Carin-Tagera.*
5. *Tsieroe-Tagera.*

Harum quinta & secunda tantùm ab Autoribus nostris describuntur: suntque omnes plantæ peculiaris generis, nullam cum ullis aliis plantis descriptis convenientiam habentes: *fruticibus* tamen *siliquosis* accensendi sunt.



TA-

Tagerà. lat.

തകര *mal.*

Arab.

ताइकळि *bram.*



TÁGERA.

FIG. 53.



Ágera est plantula altitudine trium quatuorve pedum nascens in arenosis. Fig. 53.

Radix fibrosa, nigricans ac lignosa.

Caules rotundi, lignosi, virides.

Folia in caulibus qui ad exortum nonnihil extuberant & interius striati sunt, brevibus pedunculis in duabus seriebus bina & bina proveniunt, suntque oblongo-rotunda & lata, anterius rotunda ora ad petiolum striata, contextura crassiola, superficie plana, ad tactum lenia, viroris surdi. Ex costa media quæ in adversa eminet & nonnihil in recta *Costulæ* ferme parallelæ quæ solum in adversa eminent, annulari ductu exeunt.

Flores iidem forma & colore, sed minores.

Calyx viridis quinque oblongo-rotundorum & viridium foliorum.

Floribus deciduis succedunt *Siliquæ*, rectæ quoque & oblongæ, sed planiores & angustiores quam illæ *Ponnàm-Tágera* septem pollicum.

Fabæ quæ in iis continentur ac rotundiolæ sunt cum sua longitudine jacentes in longitudine siliquarum, suntque saporis subacris, primum virides, dein coloris cinerei & nitentis.

VIRES EJUS.

F*Olia* trita serviunt pro morsu seu ictu apum in unctione partis affectæ. *Semina* trita ac eodem modo cum croco usurpata conducunt pro pustulis ac ulceribus, & cum succo plantæ *Veètla-Caitù* servit pro malo nato in unguibus iis apposita.




(Nerium) coronarium

F. 54.



NÁNDI-ÉRVATAM.

FIG. 54.



Andi-Ervatam duæ ſpecies ſunt ejuſdem nominis; una *major*, altera *minor*. Fig. 54.

Nándi-Ervatam major ling. Bram. *Vállo-Nanditù* fruticulus eſt quatuor pedes altus naſcens in arenoſis.

Radix fibroſa, cortice albicante ſeu ſubrufo in ramos ſe diffundens.

Stipites ex radice exſurgentes cortice ſcabro cinereo cum ramis ſuis nodulati.

Surculi tenues & novelli virides.

Folia quæ ex nodis ſurculorum brevibus & viridibus petiolis bina & bina proveniunt, ſunt oblongo-anguſta, rotunda, anterius cuſpide parvo & anguſto qui verſus unam partem maxime inflexus eſt, eminentia, ad petiolum ſtricta alia magis, alia minus, intus lactea, mollia, ſuperficie lenia, viroris in recta parte fuſci, in adverſa clari, & in utraque nitentis, maxime in recta.

Ex coſta media craſſiola *Coſtæ* obliquo annulari ac parallelo ductu ferme bina & bina exeunt, ac à margine reflexæ arcuatim in ſe invicem incurrunt venulis ſubtilibus in folio conſpicuis comitatæ ac cum coſta media etiam in recta parte eminentes; folia ſaporis ac odoris nullius niſi ſilveſtris.

Flores in petiolis qui ſupra ex origine foliorum etiam duo, tres, vel plures ſimul oriuntur, plures congregatim proveniunt, ſuntque roſæ in totum candidæ ſeu niveæ albedinis, odore ſuavi & grato, conſtantes decem oblongis foliis, quæ anterius latiora, craſſiola, rigida, ac venis ſubtilibus ſtriata ſunt, ac in duplici ordine poſita, quinque eorum quæ in exteriori ordine in uno latere rectiori linea ſtriata ſunt ac magis craſſiola, in altero latere rotundiori ac tenuio-

ri margine & criſpo ſeu corrugato, exterius nervulo ſtriata qui proximè marginem rectum exortus in eum ductu inflexo incurrit, quinque illa quæ in interiori ordine ſunt, lateribus in utraque parte rotundiolis ac non exacte uniformibus circumſcripta ac in oris undique corrugata; ſuntque flores calyci quinque parvorum foliorum pedunculo ſeſquiunciali, qui exterius viridi-dilutus & ſubflavus, interius flavo ac croceo rore, quo unguiculos foliorum tingit, conſperſus eſt, inſidentes.

Gemmæ florum conicæ.

Sub tempus quo florum exortus inſtat, *Folia* omnia decidunt, novaque ſimul cum *Floribus* erumpunt.

Fructus num ferat dubium.

Hic fructiculus totus lacteus eſt, in anno bis terve flores ferens.

VIRES EJUS.

SUccus ex ea expreſſus ac cum oleo mixtus dolores oculorum ſedat facta capitis perunctione. *Radix* maſticata & in ore detenta dentium dolores ſedat vermes enecando, cum oleo decocta ſervit pro omni indiſpoſitione capitis ac præſertim ejus dolorem ſedat facta perunctione; eadem trita & in aqua epota lumbricos enecat, trita cum ſucco limonis & oculis indita nubeculam tollit.

FIG. 54.

Propter ſuavitatem odoris, gratamque ſpeciem hæc planta in hortis Indiæ à Botanophilis conſervatur. A Luſitanis vocatur *Fula de S. Antonio*. Ejus arbuſcula ab Authore noſtro ex oris Malabaricis advecta, Celſiſſimoque Principi Auriaco dono data eſt, ubi adhuc ſupereſt in præſtantiſſimo horto Honſelaerdicenſi. Frutex hic *Nándi-Ervatam major* ſpecies eſt *Syringa*, meritoque vocari poteſt *Syringa Malabar. lacteſcens flore niveo pleno odoratiſſimo.*



NAN-

(Nerium) coronarium

T. 55.

Nandi-érvatam minor. lat.

ചെറിയനന്ദ്യാർവട്ട. mal.

جحهريا نندياروطّام Arab.

नंदैत bram:



NÁNDI-ÉRVATAM MINOR.

FIG. 55.



St & *Nándi-Érvatam minor* dicta ling. Bramanum *Dacolò-Nanditù*, à priori tantum differens, quod foliis ſit nonnihil minoribus, quodque flores ſimplicioribus ac minoribus foliis conſtant, puta tantum quinque, quæ ſimilia ſunt foliis florum prioris ſpeciei quæ in exteriori ordine ſita ſunt. Fig. 55.

FIG. 55.

Nándi-Ervatam minor eſt ſpecies *Jaſmini*, formâ florum id demonſtrante: diſtinguiturque ab authoribus noſtris à priore eo quod in omnibus partibus minor eſt illo Verùm meo judicio frutex hic omnino differt ab iſto, quoniam flores *Jaſmini* floribus ſimiles ſunt, folia verò foliis *Mali medicæ*, & propterea appellari poteſt *Jaſminum Malabaricum foliis mali Aurantii, flore niveo odoratiſſimo*, ad differentiam *Syringæ Arabicæ foliis mali aurantii* Caſp. Bauhini in Pinace, quia flos cum hac minime convenit.





Capsicum annuum. frutescens
F. 56.
Capó-molagó. lat.
Mal.
Arab.
पु चतकालिनिचुलि bram.

CAPÒ-MÓLAGO.

F I G. 56.


Apò-Mólago lingua Bram....... eſt ſuffrutex altitudine trium pedum naſcens in arenoſis. Fig.56.

Radix fibroſa eſt intus ligno albicante, cortice ruſo, qui ſaporis eſt acerrimi.

Caules ac *Rami* rotundi. viridi-nitente cortice intus & pilis raris tenuiter obducti, in ligno albicante corculo molli & viridi.

Folia quæ languidis, tenuibus petiolis appendent oblongo-anguſta & cuſpidata ſunt, ad petiolum quoque ſtricta, ac eum velut limbulo circumveſtientia, contextura tenuia, mollia, ſuperficie lenia, viroris in recta fuſci, in adverſa clari, ex media coſta albicante coſtis tranſverſis quæ in ſe invicem annulari ductu incurrunt ac etiam in recta cum coſta media eminent ſtriata, ſaporis ſubacris & ſubamari.

Flores qui tenuibus, brevibus petiolis ſupra ex origine foliorum proveniunt, ſunt ſtellæ quinque oblongis cuſpidatis foliis quæ in medio una vena ſtriata ſunt, conſtantes odoris nullius, habentque in medio corculum ex ſtaminibus ſurrectis albicantibus ac viridi-fuſcis limbulis obſitis conformatum & in medio ſtylum albicantem parum ex ſtaminibus eminentem ex globulo qui germen fructus eſt, ac in calyce ſito prodeuntem.

Calyx florum arcte florem apprehendit, eſtque quinque viridi-fuſcis coſtis ſtriatus.

Fructus qui floribus deciduis ſuccedunt, oblongo-rotundi ſunt, primùm virides, dein cum maturi in totum aureo-flavi ſeu crocei, ſaporis acerrimi & ſummè mordacis cum ardore intenſo, maximè cum maturi ſunt.

Semina quæ in iis numeroſa ad ſe invicem conſita & membranaceis interſepimentis à ſe mutuo in duos ordines inter-

stincta conspiciuntur, sunt oblongo-rotunda, plana & albicantia, ac sicca nonnihil crispa.

VIRES EJUS.

PIper ejus masticatum & in ore detentum dolores dentium sedat, commode quoque tritum apostematibus resolvendis imponitur.

F.IG. 56.

Quod hîc ab autoribus nostris describitur sub nomine *Capo-Molago*, est *Piper Indicum siliqua flava vel aurea*, Casp. Bauhini in Pinace, cognitum sub vulgari nomine *Capsici*, & Belgico Brefili-Peper/ aliàs juxta nomen Malabaricum Caffers-Peper: quoniam *Molago Piper* denotat; *Capo* vel *Capro*, Mauros vel Caffres, populum Indicum. Planta hæc plurimas habet species figurâ fructuum & foliorum quodammodo differentes. Curiosissimus perscrutator Antilarum Americanarum Dominus Rochefortius refert eam à naturalibus incolis regionum illarum appellari *Axi* vel *Carive*, ejusque tres describit species. Recchius in sua Histor. natur. Novæ Hispan. lib. 5. cap. 3. vocat *Chilli* seu *Piper Mexicanum*, inque descriptione ejus duodecim distinctas species exhibet, ut & eruditus *Piso*, qui eam describit sub nomine *Quiya*, sive *Piperis Brasiliensis*. Verùm Casp. Bauhinus specierum numerum viginti quinque statuit. Planta hæc admodum frequens est in hortis Botanicorum nostræ regionis, ubi seminata eodem anno fructus maturumque semen producit, deinde verò perit; quamobrem herbis, non fruticibus, accensenda venit.



I N-

INDEX.

Admonitio ad Bibliopegum.

In hoc libro agglutinanda ſunt folia tam deſcriptionum, quam figurarum tenuibus foliis, non ſecus ac fieri ſolet in Atlantibus majoribus Geographicis; illa autem folia deſcriptionum (inter quæ nulla collocatur figura) biſecanda ſunt, exceptis his foliis tribus Dd. Ee. *&* Oo. *quæ integra relinquenda ſunt, quoniam nulla ejus medium occupat figura.*

Berigt aen de Boekbinder.

Dit Boek moet met ſtrooken gebonden werden, ſoo wel de Letter-druk als de Figuren, gelijk als de groote Atlaſſen gemenelijck werden gebonden, en moeten alle de Letter-bladen (daer een Figuur tuſſchen behoort) door geſneden werden, uytgenomen deſe drie bladen letter Dd. Ee en Oo. die heel blijven om dat daer geen Figuur moet ingevoegt werden.

FINIS.